


KNY-18-


00794


XXXV. f.

N<sup>o</sup> 123.

KNY-18-00794







KNY-18-00794

12<sup>o</sup> ottobre



ΔΕΙ ΔΕ ΠΡΟΤΙΜΑΝ

ΤΗΝ ΑΛΗΘΕΙΑΝ



DE  
**VENTRICVLO**  
IMPVTATORVM CRIMINVM  
EXPERTE

PRAESIDE  
**CHRISTIANO GODOFR.**  
**STENTZELIO**

ARTIS SALVTARIS ET PHILOSOPHIAE DOCTORE CHIR-  
VURGIAE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO PATHOLOGIAE PRO-  
FESSORE SVBTITVTO H. T. FACVLTATIS-MEDICAE DECANO  
PRO GRADV DOCTORIS

DIE III. IVLII AO. MDCCXXXVI  
LOCO HORISQVE CONSTITVTIS

DISPVTABIT  
**IOANNES Gottheff ARNOLD**  
LOSHVIC. MISN.



*Ad coenam me, Batte, uocas, uenioque uocatus :  
Apponis, uarias, fercula laura, dapes.  
Tu tacitus uentrem dapibus distendis opimis,  
Non mihi gustatur paruulus ore bolus.  
Nauseo, Batte, cibos : quia desunt optima coenae  
Condimenta tuae ; coena loquendo sapit.*

KNY-18-00794





DE  
**VENTRICULO**  
IMPVTATORVM CRIMINVM EXPERTE.

---

I.



Ecedat hinc longius, discedatque omnino plebs illa medicorum imperita ac profana, quae quorumuis originem affectuum, humanum genus uariis misere tormentis affligentium, ex uentriculo, maximam partem insonte, tanquam omnis sentina mali, communique uniuersi corporis cloaca, ac sordium proluie, accersens, promiscuo ac constanti emeticorum, ac sic dictorum stomachalium, depurandi confortandique ergo adhibitorum, usu, magis, quam tota morborum turmatim ingruentium cohors, infelices mortales detestandum in modum torquet et exagitat, pluresque, quam truculentissima pestis, horribilis strages caedesque belli, & perniciosissima annonae corruptio, cum maxima frumentariae inopia rei iuncta, acerbiori mortis genere, breuiorque temporis spatio, e medio tollit. Scetet sane praesens seculum imperitorum copia medicorum, qui corporis mole Hercules, eruditione Pygmaei, arte perimendi Tydei existunt, imi-

A

ran-

tantes decantata MARTIALI (a) et MORO (b) artis salutaris prostibula, fasis stratisque aliquot languentium agminibus incypta, quorum alterum, Nicolai insignitum nomine, a Graecis terminis, *νίκη*, uictoria, & *λαός*, populus, deriuatum, quasi dicas, gentium uictor, quouis fortius & potentius Principe praedicatur; nam, uti eleganti MORVS carmine expressit, haud raro subditi, bello subacti, recuperatis uiribus, quam primum commoda se offert occasio, nouis denuo rebus student, atque a Rege, cui se dederant, Sogdanorum, uti habet CVRTIVS, (c) more, deficiunt; cum illi contra, quos semel compefecerit talis medicus, perpetuo iaceant uicti, nullam amplius seditionem & discordiam, nullam turbam, nouamque rerum confusionem, concitaturi. Similis huic Nicolao, occidendi peritia, Hermocrates a Martiali allegatur, qui omnes fere aegrotos, curae illius commissos iugulans, adeo gestarum gloria rerum celebris factus, ut uulgi opinio inualuerit, mortem ab hoc medico, quam primum se aegrotis praebuerit uisendum, afferi; unde MARTIALIS: lotus nobiscum est hilaris, coenauit & idem, inuentus mane est mortuus Andragoras. Tam subitae mortis causam, Faustine, requiris? In somnis medicum uiderat Hermocratem. In quem uero, in quem, quaeso, finem, ab iniquis uentriculum uindicaturus iudiciis, ad inutilem hanc abiectamque hominum in salutaris ignominiam artis natorum colluuiem prouoco? cum & celeberrimi nostrorum temporum medici, & antiquissimi maximae famae ac dignitatis philosophi, falsa insonti uentriculo probra & uitia obiecerent, omnibusque eundem maledictis uerent. Prima, quae uentriculo ab antiquis medicis illata fuit, iniuria est, quod nobili illi uisceri, nec nomen proprium, nec sua dignum dignitate ac functione, imposuerint. Modo ille, stoma-

(a) Vid. Ioci ac Sales Othomari Luscinii, qui cum Michaelis Scoti mensa philosophica Lipsiae 1603 in 12mo prodierunt, §. 75 p. 389 & 390. (b) Epigrammat. lib. 6. (c) lib. 3. cap. 1.

Stomachus, modo aluus, iam uenter, iam uentriculus, a Romanis; nunc κοιλία, nunc γαστήρ, modo νηδύς, modo γαστριδιον, a Graecis dictus, cum abdomine, ac quatuor maiore minoreue cavitare partim, partim cum oesophago, utero, ac toto alimentorum canale confunditur. Ventriculus praeterea, immerito suspectus, (d) morosus, (e) intemperans, (f) insatiabilis, (g) a SENECA, & rabidus, a SILIO (h) uocatur, rabidi, sunt huius uerba, ieiunia uentris, insolitis adigunt uesci. Ventriculus, plurimum negotii, doctore PLINIO, (i) homini exhibet, cuius causa, maior mortalium pars uiuit. Alias enim cibos non transmittit, alias non continet, alias non capit, alias non conficit. Eoque mores uenere, ut homo maxime cibo pereat. Pessimum corporum uas, instat, ut creditor, & saepius de die appellat. Huius gratia, praecipue auaritia expetitur, huic luxuria conditur, huic nauigatur ad phasin, huic profundi uasa exquiruntur. Et nemo utilitatem eius aestimat consummationis foeditate. Ergo numerosissima est circa hanc medicinae opera. Hoc Plinii effatum, ex HOMERO (k) desumptum est, a quo auidus ac perniciosus, qui multa hominibus mala conciliat, uentriculus nominatur, γαστέρα, canit idem, ἔπος ἐστὶν ἀποκρούσαι μεμαυῖαν, ἰλομένην, ἢ πολλὰ καὶ ἀνθρώποισι δίδωσι, τῆς ἐνεκεν καὶ νῆες εὐζήγοι ὀπλίζονται πόντον ἐπ' ἀτρέγγετον, κατὰ δυσμενέσσαι Φέρουσαι. Ab eodem pariter auctore, (l) γαστήρ συγερή, ἧς ἔστιν κύντερον ἄλλο, odiosus, quo nihil peius, nihil impudentius terra alit; λυγρή (m) porro, molestus, μάργη, (n) infanus atque otiosus, κακοεργός, (o) maleficus; a TRYPHIO-

A 2

DO.

(d) Seneca Oper. quae Antuerpiae, ex officina Plantiniana, 1652. in folio, cum Lipsii Scholiis, prodierunt, lib. 3. de ira cap. 9. p. 46. (e) Oper. edit. cit. epist. 78. p. 531. (f) Oper. edit. cit. Natur. Quaest. lib. 4. cap. 13. p. 755. & 756. (g) Oper. edit. cit. epist. 60. p. 438. (h) de bello Punico, lib. 2. (i) Histor. Nat. quae folio, Basileae 1554. a Frobenio edita fuit, lib. 26. cap. 8. p. 467. (k) Odyssaeae Compos. 17. uers. 286. & sequ. (l) Iliad. 3. (m) Odyss. 5. (n) Odyss. 5. (o) Odyss. cit. modo Compositione.

DORO, αἰμοτόκος, (p) cruditatum parens; a GREGORIO NAZIANZENO, ἀρχίκακος, (q) malorum omnium principium, ἀπλήρωτον βέρεθρον, (r) insaturabilis gurgis, πολυχανδής, καὶ μαχλοσύνης μητέρα ἀτάδαλος, (s) multa capiens, ac scelestus lasciviae auctor, πικρὰ δέσπονα καὶ ἀπόπτυσος, καὶ πάντων κακῶν μητὴρ, (t) acerbus ac detestabilis dominus, omniumque genitor & effector malorum, ἄσωτος, πικρὰ δέσπονα τῶν λοιπῶν μελῶν, (u) prodigus, atque acerbus reliquorum membrorum praeses; a PHILONE Iudaeo, οἰκειότατον ἡδονῆς χωρίον, (x) familiarissimum omnis uoluptatis receptaculum, ac sedes, uentriculus dicitur. Grauem & crudelem, crudeli inter homines regnantem ratione, uentriculum OPPIANVS (y) appellat: ὡς ἔδεν λιμοῖο κακώτερον, ἔδε βαρείης γαστέρος, ἢ κρατεῖει μὲν ἐν ἀνθρώποισιν ἀπηνής. Molestum animo uentriculum, θυμαλγέα, QVINCTVS CALABER (z) pronunciat, ac plura ab eodem incommoda deducit, uti ex sequenti illius carmine constat: ἔ γὰρ νηδύος, ἐστὶν ἀπωσέμενα μεμαυῖνης λιμὸν ἀταρτηρὸν, ὅποταν σένοισιν ἵκηται ἀλλ' εἶδαρ θοὰ γῆα βαρύνεται, ἔδε τι μῆχος γίγνεται, ἢν μή τις κορέση θυμαλγέα νηδύν. Ventrículus, μέγα ἀνθρώποις κακόν, magnum hominibus malum, ATHENAEO (a) audit, idemque, antiquissimi Poetae, ALEXIS, (b) carmen allegans, mortales serio monet, ut discant, uentriculi causa culpaque, quaeuis indigna atque atrocía patrari, adeo, ut, si hanc corpori adimas partem, nemo amplius sponte quidquam iniuste sit acturus, aliumue laesurus. Ipsum, quae-

(p) Carm. Gr. de euerfione Troiae. (q) Oper. quae Coloniae 1690. in folio edita fuerunt, Tom. 2. carm. 2. u. 44. p. 43. (r) Oper. T. c. carm. 51. u. 277. p. 125. (s) Oper. Tom. cit. carm. 1. u. 67. & 68. p. 32. (t) Oper. T. I. orat. 3. sub finem p. 108. & 109. (u) Oper. Tom. II. Carm. Iamb. 3. u. 118. & 121. p. 191. (x) Oper. quae Francofurti 1691. in folio edita fuerunt, lib. 2. legis allegoriarum, p. 86. (y) ἄλ 3. uers. 97. (z) Graeco carmine, quod Paralipomena Homeri dixit, Compos. 4. uers. 66. (a) Deipnosophistis, in folio, cum Casauboni Commentario, Lugduni 1657. editis, lib. 10. cap. 5. p. 422. (b) in Comoedia de Commorientibus, citante eum locum Athenaeo,

quaeso, audi Poetam, qui hūc suam mentem satis diserte declarat: μάθοις ἀν, οἷον κακὸν ἀνθρώποις ἐσθ' ἢ γαστήρ, διδάσκει οἱ ἀναγκάζει θ' ὅσα, εἰ τις ἀφέλοιτο ταῦτ' ἀφ' ἡμῶν τὸ μέρος ἀπὸ τῆς σώματος, οὐ δ' ἀδικοῖτ' ἕθεν ἕδεις, οὐθ' ὑβρίζοιτ' ἀν ἐκῶν· νῦν δὲ διὰ ταύτην ἅπαντα γίνεται τὰ δυσχερῆ. Ventriculus Graecis γαστήρ, παρὰ τὸ γῶ, τὸ λαμβάνω καὶ δέχομαι, capio, quod ἢ πάντα τὸν βίον μὴ πληρημένη λαμβάνουσα, infatibilis nempe sit, ex Criticorum (c) mente, nominatur. Binis, a PLVTARCHO, (d) locis, Catonis prouerbium allegatur, quod, sub molesti importunisque persona creditoris atque interpellatoris, uentriculum sistit, aduersus quem, auribus carentem, contendere, difficillimum sit. Ab Aegyptiis, teste eodem PLVTARCHO, (e) uentriculus, αἰτία ἀπάντων, ἀπὸ ἀνθρώπου ἡμαρτεν, omnium causa ac featurigo peccatorum, constituebatur; unde iidem mortua balsamis condituri corpora, uentriculum cum toto intestinorum tractu extrahebant, extractum peculiari mandabant cistae, quam, cum cadauere condiendo, ad solem productam, post enumerata defuncti merita, Deorum commercio digna, tandem cum omnis generis conuitiis, infonti obiectis uentriculo, in flumen, ridiculo plane spectaculo, tanquam rem abiectissimam et perniciosissimam, proiciebant, reliquum corpus, utpote purum sanctumque, conditurae referuantes. Simili in uentriculum animo fuit RIOLANVS (f), a quo, pro sentina corporis, in qua residet uitium intemperantiae nostrae, omnium malorum parens, medicorum nutrix, in quem omnia confluunt, uenditatur. Fertilissima morborum sedes, et solenne

A 3

fomitis

lib. & cap. mox allegato. (c) Clauē Homericā, quae Roterodami in suo 1678. prodit, in Δ Iliad. u. 531. p. 161. & Etymologico magno, quod ab Aldo Venetijs 1549. in folio fuit editum, sub uoce γαστήρ p. 49. a. (d) Oper. quae Interprete Xylandro, in folio, Francofurti 1620. prodierunt, (1) Tom. 2. Dialogo de tuend. sanit. p. 131. (2) eodem Tomo, Oratione 2. de carniū etiā, p. 996. (e) cit. Tom. or. et pag. (f) Encheirid. anat. et pathol. quod in suo, 1675. Lipsiae editum fuit, lib. 2. cap. 4. p. 71.

fomitis materiaeque peccantis hospitium, HOFFMANNO (g) est uenterculus. Frequens omnium, tum animi, tum corporis uitiorum fons atque origo, ex FERNELII (h) effato, uenterculus existit. Idem numerosae promptuarium cladis a LOESELIO (i) nuncupatur. Venterculum, ex partium, conseruandae uitae absoluta seruientium necessitate, numero GALENVS (k) plane excludit, quem LAVRENTIUS (l) et plures alii sequuntur. Tam periculosus, ac sanitati inimicus infectusque Diogeni uenterculus uidebatur, ut nullus dubitaret, eundem, uitae appellando charybdin, tanquam inutilem corporis humani sarcinam, spernere ac repudiare. Silentio lubens praetereo, quae habet CONNOR (m) de uenterculi, in hominibus post huius mundi consummationem resuscitatis, absentia.

II. Tot tantaque infonti uenterculo crimina ac uitia immerito impurantur; tot tantisque conuiriis promerita utilissimi huius uisceris, uniuerso corpori de nutrimento ac uiribus prospicientis dignitas atque utilitas proscinditur; tam aperte, tam inusitata rabie, tam libere ac petulanter, innumera, quae uenterculus humano generi praestat, emolumenta obscurantur, corumpuntur, minuuntur, supprimuntur. Venterculus, inquam, nobile illud uiscus membranaceum, quod sub septo transuerso, medio in corpore, intra hepar ac lienem, locatum, tanquam promus condus, quaecunque alimenta, tum cruda integraque, tum cocta et resoluta, eaque mansa ac dentibus comminuta attritaque, aut sine masticatione affatim deglutita, siue olera fuerint,

(g) Dissert. de uera morborum sede, Halae, Mensis Oct. ao 1715. habita §. 3. p. 5. et §. 11. p. 19. et 11. (h) Pathol. lib. I. cap. 15. p. 210. (i) Diss. de uentric. fabric. act. et affect. Regiomonti 1639. mens. Decemb. habita, mox in praefat. (k) Oper. lib. 6. de usu partium cap. 7. et lib. 14. cap. 1. (l) Oper. quae in folio, ao. 1628. Francofurti edita fuerunt, Tom. 1. hist. anatom. lib. 1. quaeest. 3. p. 25. et Tom. 2. Comment. in artem paruum Galeni, p. 3. (m) Euangelio medico, artic. 13. p. m. 110. et 111.



rint, femina, fructus, radices, siue caro animantium terrestrium, piscium, auium, sinu suo recepta, proprii, quo instructus est, uirtute liquoris, proprii, quo gaudet, ministerio motus, consentiente ac conspirante, ad hoc perficiendum, uicinorum actione uiscerum, fouet, attenuat, miscet, digerit, soluit, extrahit, atque in liquorem lacti similem mutat, mutatum ad intestina amandat, sanguini communicandum, atque in omnes uniuersi corporis partes distribuendum, pro uilissimo humanae machinae instrumento, atque infensissimo prosperae ualitudinis hoste, habetur. Est omnino uentriculus, nutricei fons succi, ac uirium, quibus omnes gaudent partes, officina, adeo, ut iure meritoque ex uentriculo, uniuersi corporis nutritio, functio, robur, atque integritas, praecipuaque sanitatis conseruandae, morborumque curandorum fundamenta sint deducenda. Huius sententiae ueritatem plures pluribus commoti argumentis atque experimentis philosphi ac medici iam agnouerunt. Non attingam, nec laudabo laude mea praestantiores satisque notas, quas de singulari uentriculi, multis deploranda prorsus ratione iniuriis atque incommodis, non suo, sed alieno uitio ac culpa, affecti, laceffiti, atque hinc immerito accusati, innocentia atque integritate, SVALUIVS (n) peringentiose docteqe congeffit, querelas. Hoc saltem monendum, hoc omnibus improbis uentriculi calumniatoribus et uitiosis corruptoribus inculcandum esse iudico, quod Cato, Seneca, aliique, quorum effata antecedentibus allegauimus, deprauatos Romanorum aliarumque gentium in uictu mores, abominandum luxum, animique incontinentiam atque intemperantiam, describentes ac perstringentes, tanquam imminentis auspiciam calamitatis, horreant, detestentur, damnent. Nam,  
uentre

(n) Prodiit huius auctoris liber, sub nomine querelarum uentriculi Amstelodami, 1675. in 12mo; in Germanam deinceps uersus dialectum, inter sic dicta arcana Fallopii, 1715. in 4to Francofurti ad Moenam edita, decimam atque ultimam constituit partem.

ventre, canit **IVVENALIS**, (o) nihil noui frugalius. Venter, scribit **PERSIUS**, (p) magister artis, ingenique largitor. Venter, sunt **SENECAE** (q) uerba, non est molestus creditor, si modo das illi, quod debes, non, quod optas. Venter, quippe, uti idem (r) alio differit loco, paucissimo contentus est. Ad legem naturae reuertamur: diuitiae paratae sunt. Aut gratuitum est, quo egemus, aut uile. Panem et aquam natura desiderat, nemo ad haec pauper est; intra quae quisquis suum desiderium clusit, cum ipso Ioue de felicitate contendat, ut ait **EPICURUS**; ipsa natura minimum nobis constituit, minimoque contentos esse iubet. Quantum enim est, (s) quod naturae datur? paruo illa dimittitur. Non fames nobis uentris nostri magno constat, sed ambitio. Non est horrida res aqua et polenta, aut etiam frustum hordeacei panis, sed summa uoluptas est, etiam ex his uoluptatem posse capere, et ad id se reduxisse, quod eripere nulla fortunae iniquitas possit. Vnde iam suo cecinit **HORATIUS** (t) tempore: cum sale panis latrantem stomachum bene leniet. Nullus uero uentriculi dignitatem usumque melius atque excellentius **QVINTO SERENO** expressit, sequentibus merita illius efferente: qui stomachum Regem totius corporis esse contendunt, niti uera ratione uidentur; huius enim ualidus firmat tenor omnia membra, et contra eiusdem firmantur cuncta uigore. Quicquid nempe in macrocosmo, in republica, in communi uita, aerarium nummorum copia locuples ac refertum, idem in microcosmo, uentriculus bene ac naturaliter constitutus facit atque efficit. Dehinc scita sermonis translatione, illi uentriculo dicuntur destituti, qui pecuniae, nerui rerum gerendarum, inopia laborant. Sic, teste **RHODIGINO**, (u) Philo-

pae-

(o) Satyra 5. uers. 6. edit. quae Hanouiae, Wecheliani typis 1619. in 8uo cum Persii lib. Satyr. et Lubini comment. prodiit, p. 195. (p) Prolog. Satyr. uers. 10. edit. cit. p. 599. (q) Oper. edit. cit. epist. 25. p. 425. (r) Oper. epist. 25. p. 431. (s) Seneca oper. ed. cit. epist. 60. p. 488. (t) Sermones 2. satyr. 2. (u) lib. 14. antiquar. lection. cap. 2. p. 649.

paemeni, insignem ducenti exercitum, necessariis autem eundem sustentandi subsidiis egenti, cum ludibrio et despectu obiciebatur: eum manibus ac cruribus instructum, uentriculo destitui. Haec attenta respiciens meditatione, beneque intelligens MENENIVS AGRIPPA, ad uacillantem Romanorum ciuium concordiam, per aequa, per iniqua ciuitati reconciliandam, teste LIVIO, (x) missus, hunc in modum ad populum Romanum uerba fecit: tempore, quo in homine, non, ut nunc, omnia in unum consentiebant, sed singulis membris suum cuique consilium, suus sermo fuerit, indignatas reliquas partes, sua cura, suo labore ac ministerio omnia uentri quaeri; uentrem in medio quietum, nihil aliud, quam datis frui uoluptatibus; conspirasse inde, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. Hac ira, dum uentrem domare uellent, ipsa una membra, totumque corpus, ad extremam tabem uenisse; inde apparuisse, uentris quoque haud segne ministerium esse, nec magis ali, quam alere eum, reddentem in omnes corporis partes hunc, quo uiuimus uigemusque, diuisum pariter in uenas maturum confecto cibo sanguinem. Hunc Agrippam secutus DIONYSIVS (y) Halicarnassensis, uberiori, allegatas uentriculi utilitates et commoda, commendatione hunc in modum describit: *ἡ γαστήρ ἐν τοῖς σώμασιν ἡμῶν, ἡ λοιδορημένη κακῶς ὑπὸ τῶν πολλῶν, τρέφει τὸ σῶμα, τρέφομένη, σώζει σωζομένη, καὶ ἔστιν ὡσεὶ τις ἐστίασις κοινῇ, τὸ πρόσφορον ἀπάντων καὶ τῆς διαλλαγῆς αἰτῶν ἀποδιῶσα,* nostrorum nempe uenter corporum, multis male audiens, nutrit corpus, nutritus, ac seruat, seruatus, ac commune uelut penuarium est, suum cuique tribuens, omniumque pacem atque integritatem conseruans. Nam, uti OUIDIUS, (z) uentriculi emolumenta, sub famis descriptione sistens, monet, suum

B

cuique,

(x) histor. Rom. lib. 2. cap. 33. edit. quae opera Gruteri, Francofurti, 1659. in 8uo prodit, p. 69. (y) Oper. quae in Fol. Lipsiae 1691. edita fuerunt. lib. 6. antiqu. Rom. p. 408. (z) lib. 8. metamorphos. sub finem, edit. Aldi p. 107.

cuique, uentriculo imprimis, dandum, alias, si eidem necessaria neget, totum hinc labefactatur corpus; quaesitamque famem, canit idem, lapidoso uidit in antro, unguibus et raris uellentem dentibus herbas. Hirtus erat crinis, caua lumina, pallor in ore, labra incana siru, scabri rubigine dentes, dura cutis, per quam uiscera spectari possent, ossa sub incuruis extabant arida lumbis. Ventris erat pro uentre locus, pendere putares pectus, et a spinae tantummodo crate teneri, auxerat articulos macies, genuumque tumebat orbis, et immodico prodibant tubere tali.

III. Nemini, qui haec audit, legit, uidet atque attendit, obscurum ignotumque esse potest, quod uentriculus, fons uitae, omnisque largitor roboris sit, chyli namque subsidio fragilem ac caducam corporis machinam instaurat, reficit, ac uelut laeta aridas exsuccasque partes scaturigine rigat, mollit, nutrit, ἡ κοιλίη, inquit Diuus Cous, (a) τῷ σώματι πάντων πηγὴ ἐστὶ πλὴν ἕσσα, et, uti non minus scite, quam uere THOM. BARTHOLINVS (b) pronunciauit: uentriculus, communis corporis coquus est, qui omnibus prospicit, male ipso habente perituris. Haec eleganti HIPPOCRATES (c) simili, a terra desumpto, sequentibus declarat: ὥσπερ τοῖσι δένδροισιν ἡ γῆ, ἔτω τοῖσι ζώοισιν ἡ γαστήρ καὶ τρέφει, καὶ θερμαίνει, καὶ ψύχει· ψύχει μὲν κενυμένη, θερμαίνει δὲ πληρωμένη. Haec, quemadmodum inter omnes constant, omnibusque sunt in confesso, ita pariter certum exploratumque est, quod uentriculus, eo, uti ceterae corporis partes, modo, uariis obnoxius morbis, afficiatur, affectusque alias partes in malorum consortium tractas laedat, ac uicissim, aliis corporis membris laborantibus, per consensum affligatur. Reticeo, quae de mira uentriculi, in Archestrato uate, qui ad lancem positus, unius oboli pondus exaequasse dicitur, exilitate, miraue eiusdem uisceris, in Ismaele atque

(a) Lib. 4. de morbis p. m. 498. — (b) Orat. II. (c) Lib. de Humor. uid. Sponius Aphor. nou. sect. I. §. 47. p. 41.

atque Eleazare, magnitudine, ex Rabbi Loama, anilibus abundante fabulis, LOESELIVS (d) affert. Valde quoque de certa historiae Pragensis, a STVRMIO, (e) LOEWENWALDO, (f) ac FRANCO de FRANCKENAV, (g) descriptae, deficientem sistentis uentriculum, ueritate dubito. A nostro prorsus alienum instituto est, multa de mutata uentriculi, ac per uulneratum diaphragma in thoracem eleuati, uel thoracem mox a primo ortu occupantis, aut deorsum, aucti mole omenti, protrusi, sede, quales obseruationes ex Paraeo, Riuerio ac Vesalio, BARTHOLINVS (h) adducit, commemorare. Rarioribus partim, partim mutatae, ui morborum, uiscerum dispositioni annumeranda ea, quae tum de duplici in hominibus uentriculo, RIOLANVS, (i) BLASIVS, (k) BONETVS, (l) DORSTENIVS, (m) tum de sacculo, qui lapidibus refertus, uentriculi alterum uidebatur receptaculum, Sperlingius, atque ex eodem BARTHOLINVS, (n) referunt. De monstruosa uentriculi in gurgitibus atque heluonibus dilatatione, de rugis plicisque uentriculi, nimia potulentorum affatim haustorum deglutitione, deletis, sequentibus agemus paginis. Ne commemoratione quidem dignam duco praeconceptam illorum opinionem, qui μικρόσομον, paruo nempe instructum ore, exiguo, πλατύσομον uero, hiantibus scilicet et a se inuicem longius distitis gaudentem labiis, amplo magnoque esse uentriculo, teste LOESELIO, (o) perhibent.

B 2

Ven-

(d) Dissert. cit. membr. 1. §. 9. (e) Calendar. curioso, in pract. ad mensem Martii. (f) Ephemer. Germ. Nat. Cur. Dec. 2. ao. 3. obs. 44. p. 124. et 126. (g) Satyr. med. 7. §. 9. p. 121. (h) Anat. Lugduni Batauorum, 1686. edita, Lib. 1. cap. 9. p. 66. (i) Enchirid. Anat. Pathol. edit. cit. Lib. 2. c. 24. p. 125. (k) Obs. med. 9. p. 4. (l) Anatom. pract. Lib. 3. Sect. 8. obs. 26. edit. quae in folio, Geneuae 1679. prodit, p. 804. (m) Miscell. Nat. Cur. Decur. 2. A. 3. obs. 103. (n) Anatom. ed. cit. lib. 1. cap. 9. p. 67. (o) Dissertat. cit. membr. 1. §. 10.

Ventriculi, uarii generis tumoribus, inflammatione, ulcere, scirrho, gangraena, sphacelo, affecti historias BONETVS, (p) FORESTVS, (q) SCHENCKIUS, (r) aliique, notatas collegerunt. Nauseam, uomitum, uarias prostrati deprauatque appetitus species, uentriculi ardorem, dolorem, choleram, lienteriam, singultum, reliquaque, quae alias tanquam propria uentriculi uitia allegantur, sequentibus, allegati in his malis innocentiam uisceris demonstraturi, breuiter strictimque perquiremus atque inuestigabimus.

IV. Nulli quippe quotidianis edocti experimentis asserere dubitamus, quod raro, si unquam, propria culpa, connatoque uitio, in morbos, qui alias uentriculo admodum familiares sunt, incidat, sed frequentissime, et perpetuo fere, ex mala sanguinis indole, aut eiusdem abundantia, uel defectu, uel uicinarum labe partium, totiusque generis neruosi laesione, aut commissis in uictu, reliquisque huc pertinentibus uitae ac sanitatis humanae subsidiis, erroribus, affligatur. Qualis enim sanguinis natura, talis nutritii, quo quaeuis irrigatae crescunt, augentur, firmantur, conseruantur partes, succi indoles; talis reliquorum liquorum, quos in uniuerso inuenimus corpore, gastricae imprimis limphae, constitutio; talis systematis neruosi uis, facultas atque effectus. Qualis uero neruorum dispositio, talis totius corporis, omnium uiscerum, uentriculi in specie, uirtus, functio ac robur. Qualis porro uentriculi firmitas, qualia limphae in eodem secretae principia, qualis in assumendis alimentis ac potulentis ordo, qualis assumtorum qualitas et copia, talis uentriculi status ac sanitas, talis chylus; qualis denique chylus, talis sanguis, tales, prouti indicatis iam demonstratum rationi-

(p) Anat. pract. edit. cit. sect. 6. 7. 8. 9. a pag. 760. usque ad 828. (q) oper. quae Francofurti a Palthenio 1623. in folio edita fuerunt, obseruat. Lib. 18. obs. 1. et sequ. a pag. 133. usque ad p. 200. (r) obseruat. med. rar. quae Lugduni 144. in folio editae fuerunt, lib. 3. obs. 1. et sequ. a p. 801. usque ad p. 333.

rationibus, omnes omnium partium actiones, tales succi e sanguine secreti, talis ualctudo. Enim uero, allegatis uentriculum defensuri argumentis, eundem multorum malorum ac criminum auctorem reumque facere uidemur; nam, si chylus, quo, secedens perspiratione aliisque secretionibus sanguineae massae pars, quotidie reddita ac restituta, renouatur atque instauratur, uitium aliquod, idque insignius, habeat, idem deinceps in totum redundans corpus, uberiores diuersorum morborum segetem ac materiam uniuerso suppeditabit corpori. Sunt haec utique sine ulla dubitatione certissima; sed, unde uitiosa deprauataque chyli conditio? unde tam diuersi cruditates genii, tam frequentia tot malorum semina? nonne, uel a praua corruptaque ciborum potulentorumque qualitate, aut uberiore eorum, sine temporis ordine deglutitorum, copia, uel peregrina peregrinis salibus aliisque particulis inquinatae saluae et gastricae naturae limphae. Ast, saepe uentriculi imbecillitatem in culpa esse, atque ab eadem allegatorum causam et originem incommodorum dependere, ad experientiam prouocans mones. Vnde uero haec, quam accusas, uentriculi debilitas arcessenda? nonne eadem, uel a totius infirmitate corporis, neruosi praecipue systematis? uel a malo, inquinato, praepostero ac peruerso, cui nullo non tempore indulxisti, quo nobilis huius integritatem uiresque uisceris uitasti, destruxisti, uictu, ortum primaque habet fundamenta? Varium omnino et discrepans, pro diuersa subiectorum constitutione, fateor, uentriculi robur ac functionem esse; uentriculi quippe uirtus uniuersae uiribus machinae responderet. Si igitur totum a natiuitate corpus infirmum ac debile, quomodo in eodem, eam, quam robustus possidet fossor, stomachi firmitatem quaerere potes? Quo uero metuendos hinc affectus praeuenire, ac iam iam imminentes, aditu progressuque arcere possimus, tot ac tam multiplicia alimentorum ac potulentorum genera prostant, ut, ex iisdem congrua, ac nostrae accommodata constitutioni seligendo, ac iusta, quam sanitatis conseruatio

B 3

exigit,

exigit, copia, et legitimo constitutoque tempore, adhibendo, exoptatum uentriculi et uniuersi corporis statum ac functionem tueamur. Discite igitur, quam paruo liceat producere uitam, et quantum natura, quantum uentriculi petat ac desideret constitutio. Cyrum seniosem imitantes, uentriculi totiusque corporis integritati consulite, qui, cum ad hospitium diuertisset, et rogaretur, quid sibi coenae uellet apponi? panem tantum, respondit, et sperare se prope fluentem aquae coenaturum. Sed quis nunc ille, cum Oratore pronuncio, tam diligens antiquae sobrietatis cultor, qui cum Lycurgo conuiuiorum apparatus; cum Solone et Lacedaemoniis nimiam in ueste superbiam damnet et prohibeat? Qui cum Platone, Cyro, Lyfandro; cum Fabricio, Diogene, Socrate, stomachi sui desideria sobriis naturae legibus terminet, definiat? Optime meo iudicio Lacedaemonienses, qui obesos et corpore pingues, ut magnarum rerum securos, in ius uocabant. Haec sane monita quemuis, cui prosperae defensio ualetudinis curae cordique est, obseruare ac seruare decet; cum enim nostra ualetudo, auctore CICERONE, (s) sustentetur notitia sui corporis, et obseruatione earum rerum, quae aut prodesse soleant aut obesse, et continentia omni in uictu cultuque, hinc ea praecipue summo fugienda studio, quae, uel ex cognito corporis nostri statu, et cum hoc collatis alimentorum, potulentorum et similium rerum principiis, uel ex usu, noxia, nocituraque deprehendimus, iis e contrario decenti adhibitis ac peractis modo, mensura ac tempore, ex quibus utilitatem melioremque rerum antea corruptarum, miserarum et miserandarum faciem, atque exoptatam constitutionis nostrae morbis perpetuo primam obnoxiae mutationem percepimus.

V. His omnibus exquisitis examinatis, suoque singulis momento ac certo ponderatis atque expensis iudicio, summam rerum

(s) Lib. 2. de offic. edit. quae in mai. 4to Parisiis 1550. cum Amerbachii, Melanchthonis, Erasmi Roterod. annot. prodit, fol. 115. a.



rerum medicarum confusionem, ignorantiam, tricas atque impedimenta cognoscimus, quibus illi impliciti et irretiti tenentur, qui morborum paulo abstrusiorum ac cognitu difficiliorum causam, originem, essentiam, ac sedem indicaturi, modo naturalem ventriculi imbecillitatem, modo nimis auctas eiusdem vires; iam intensioris gradum frigoris, iam uehementioris excessum caloris, seu sic dictam frigidam calidamque, et alias plures, quas sibi fingunt, ventriculi intemperies, nunc materiam adiunctam habentes, nunc eadem destitutas, in scenam producunt. Euolue, ac perquire grandia, quae Galenus, Fallopius, Fernelius, Argenterius, et centum alii, ediderunt, uolumina, nullum in iisdem caput, et uix ullum inuenies folium, quo non accusetur uentriculus, isque uel calidus, uel frigidus, uel humidus, uel siccus, uel omnino aestuans, uel omni plane orbatus calore, uel ualde siccus et modice frigidus, uel nimis frigidus et parum humidus, ut innumeras alias huiusmodi intemperierum, uentriculo male attributarum, species silentio iam transeam. Et quid mirum, deprauatum uentriculi morbis aliunde deriuandis affecti statum tot inutilibus atque a rei essentia alienis obscuratum distinctionibus proponi ac describi? cum harum nugarum fundamenta in physiologica huius uisceris bene constituti explanatione iacta iam stabilitaque allegatorum scripta auctorum nobis exhibeant. Quid aliud frigida siccaque temperies, quam naturaliter disposito CARPVS (t) uentriculo tribuit, indicat, quam summam rerum naturalium, imprimis circuli sanguinis, et ab eodem arcessendorum effectuum, ignorantiam? Omnes certe de caprina certant lana, qui cum RIOLANO, (u) calidum partim, partim frigidum siccumque uentriculo temperamentum, cum VESLINGIO (x) tribuunt. Iuste quidem et legi-

(t) Anatomia, quae in 4to Venetiis, a. 1535. prodiit, fol. 12. b. (u) Animaduers. in Veslingii syntagm. Anat. ad cap. 3. (x) Syntagm. Anat. quod cum Blasii Comment. in maior. 4to. Amstelodami 1659. editum fuit, cap. 3. p. 27.

legitime Riolanus Veslingium reprehendit, sed minus iusta et legitima est reprehensionis causa, causaeque explicatio. Habent pariter DOMINICVS de MARCHETTIS (y) et BLASIVS (z) uberiorem et praestantem errores a Riolano admissos refutandi materiam, sed eadem, errorum originem et fundamenta ignorantes, minus recte utuntur, et hinc longius quoque a vero aberrant. Nam, nec membranis, uti Veslingius et huius aesculae male ratiocinantur, per se inest siccitas et frigus, nec carnosae partes, uti Riolani fert opinio, per se calorem possident, sed omnis, omnium partium, membranarum, musculorum, uiscerum, calor a sanguinis motu attrituque dependet. Si igitur uentriculum ex se et sua natura consideramus, siue eundem cum Veslingio membranaceum, siue musculosum cum Riolano pronunciemus, nullum utraque sententia inueniet patrocinium, cum peculiare uiscerum temperamentum, quod eis insitum credebant, omnino desideretur, ac uaria aestus et frigoris phaenomena ab allegatis causis repetenda sint. Potius hic diuersa neruorum uis elastica, uaria humorum per partes perpetuo circulantium constitutio et motus, ac discrepans succorum in uisceribus e sanguine secretorum indoles, respicienda atque examinanda, et ab iisdem diuersus naturalium functionum status, et multiplex illarum in aegrotis laesio deriuanda. Hoc tamen nihilo secius ex iam dictis certura euentumque constat, eos longius a rationis atque experientiae norma recessisse, qui frigidum siccumque in naturali uentriculum statu statuerunt, cum hoc uiscus pluribus instructum arteriis uenisque, quam diu ualemus, ac uigemus, blando constantique, transcurrentis agitatione sanguinis, calore foueatur, atque ex ea, quae hic perpetua est, perspiratione, continuaque feri per tomentosas gastricarum arteriarum extremitates papillasque nerueas secretionis, nunquam non accommodatis irrigatum succis reperiarur.

VI. Quic.

(y) Anatomia quae in 12mo ao. 1656. Hardeuici prodiit, cap. 3. p. 25.  
26. (z) Comment. ad Veslingii syntagma Anat. edit. cit. p. 41.

VI. Quicquid uero fit, quaecunq; fit laesionis caufa, quocunq; insigniatur termino, frequentiffime tamen uentriculi imbecillitatem in culpa effe, atq; ab eadem cruditates, ex cruditatibus omnis infirmitates generis oriri, Timothei et literatorum confirmas exemplo. Timotheum hortatur PAVLVS, (a) ut, repudiato aquae potu, modico uini hauftu utens, uentriculi succurrat functioni, *μηκέτ' ὕδρονότει*, Apoftoli funt uerba, *ἀλλ' ὄνω ὀλίγω χεῶν δια τὸν σῶμαχόν σου, καὶ τὰς πυκνὰς ἀδθνείας*. De literatis nota atq; apud omnes peruulgata eſt traditio, quod in iisdem uirtus ſtomachi langueat, et ſaepe adeo fit imminuta ac nulla prorsus, ut minime ad chyliſicationis negotium, quod primas in ſanitatis deſenſione partes obtineri, rite abſoluendum, ſufficiat. Uentriculi imbecillitas, ſcribit ARETAEVS, (b) familiare illis uitium eſt, qui, ut erudiantur, laborant, et eius caufa multa perferunt, quibus ineſt diuinæ ſcientiæ cupiditas, qui cibi parſimonia et uigiliis macerantur, qui doctos ſermones et res graues meditantur, qui uictum pleniorum et uarium contemnunt, et famem pro alimentis habent, pro potu aquam, et in ſomnis uigilant; haec utiq; ipsis eruditionis amore bona comparantur! A quo enim diſciplinæ amor non auocet? a patria, a parentibus, a fratribus, a ſeipſis uſq; ad mortem. His igitur corporis macies adest, decolor facies, et in iuuenta ſeneſtus. In uniuerſum omnes literatos ſtomachi imbecillitate laborare, RAMAZZINI (c) affirmat, nullus enim, inquit idem, fere eſt, qui ſerio literarum ſtudio det operam, ac de ſtomachi languore non conqueratur; dum enim, cerebrum concoquit ea, quae ſciendi libido et literarum cupiditas ingerit, non niſi male poteſt concoquere uentriculus ea, quae fuerint ingeſta alimenta, diſtractis nempe ſpiritibus animalibus, et circa intellectuale opus occupatis, uel iisdem ſpiritibus non adeo pleno influxu, uti opus eſſet, ad ſtomachum

C

machum

(a) Epistoła I. ad Timotheum, cap. 5. uerſ. 23. (b) lib. 2. cap. 6. conf. Donatus hiſt. med. mirab. lib. 1. cap. 2. p. 28. et 29. (c) lib. de morbis artificum, Mutini 1700. in 8uo edito, cap. ult. p. 369.

machum delatis, propter fibrarum neruearum, ac totius nervosi systematis in altioribus studiis ualidam contentionem. Hinc ergo cruditates, flatuum ingens copia, corporis totius pallor, et macies, partibus geniali succo defraudatis, summatim, omnia damna, quae cacochyliam consequuntur, ortum ducunt. Ita BRANCHALEVS (d) historiam morbi, quo Martinus a Portugallia, Regis Lusitanorum nepos, et apud Pontificem legatus, laborauerat, recensens, a studiis, stomachi languorem, ab hoc iterum podagram et calculum deducit, sequenti demum usus clausula: etenim, quemadmodum umbra corpus, lux solem, sic literatos ueros uentriculi imbecillitas, capitis fluores, pituita atraque bilis comitantur. De M. Ant. Flaminio refert THVANVS, (e) quod diuinam psalmodiarum Daudicorum maiestatem primus inter suos cum aliqua laude latinis expresserit uersibus, maiora utique praestiturus, nisi infirmitas stomachi, et alia ualitudinis incommoda, studiosis familiaria, eum retardassent, ac postremo non ita aetate prouectum proripissent eo tempore inter eos, qui emendationi ecclesiae incumbi consultum ducebant. Similia fuerunt Peirescii, teste GASSENDI, (f) fata, haec in eius uita commemorante: humaniora studia, ut a fratre excolerentur, tanquam magister attendebat; sed ad ista nempe ut sufficeret, studere solebat in plurimam noctem. Euenit proinde, ut partim ex natua constitutione, partim ex assiduo labore prolixisque uigiliis debilitatem stomachi, ante contractam, adauxerit, pulueremque ideo usurpauerit, quem literis ad patrem datis appellitauit digestiuum. Verissima utique ac certissima sunt, quod studia serio pertractata, ac diurno nocturnoque immoderatus continuata tempore, et perpetuae reconditarum rerum meditationes, cum peruigilio et parcioris usu uictus, uti allegatis constat historiis, iunctae, totum corpus, et hinc etiam uentriculum, nutritiis, quibus uita et sanitas sustentatur, succis pri-

(d) in Dialogo de Balneis pag. A. 2. B. et sequ. (e) Histor. lib. 9. ad A. C. 1551. fol. 177. b. (f) In eius uita lib. 1. p. 8.

privando, debilitent. Extra omnem pariter dubitationem positum est, quod, labefactato uentriculi tono, et assumendorum langueret desiderium, et assumta diutius in uentriculo haerendo, minus laudabilem chylum, a quo sanguis deinceps omnesque partes labem contrahunt, suppeditet, uti antiquissimum HIPPOCRATIS (g) scitum docet: *ἡ κοιλίης νάρκωσις, ἢ τῶν ἄλλων σύγχυσις, ἢ τῶν αἰγγείων ἀκαθαρσίη.* Ambabus denique largimur manibus, quod parciior uini accommodati usus, uentriculo, feri imprimis copia relaxato succurrat atque opituletur. At enim uero, quemadmodum haec omnia, antecedentibus historiis satis confirmata, meo confirmo calculo, ita nihil magis a ueritate alienum remotumque censeo, quam a studiis, infirmi causam uentriculi, atque a stomachi debilitate, omnium, quibus literati affliguntur, morborum originem deducere, et omnibus sedulis literarum cultoribus male constitutum tribuere uentriculum, uinumque tandem pro specifico stomachi remedio habere. Studiorum abusus, quod iam superius indicatum, peruersaque literarum cultura, minime uero debita in scientiis addiscendis contentio, atque ad liberalium exercitia artium applicatio, corporis obest integritati. Studia quippe, debito pertractata ordine ac methodo, non iucundissimum saltem ingenii pastum, humanae excitando et promouendo functiones machinae, constituunt, sed corporis quoque sanitati, tranquillam conseruando mentem, prospiciunt. Studia, inquam, res laetas condiunt, tristes leniunt, temerarios iuuentae impetus cohibent, molestam senectutis tarditatem, illamque comitantia incommoda leuant, domi, foris, in publico, in priuato, in solitudine, in frequentia, in otio, in negotio, comitantur, adsunt, imo corporis mentisque actionibus praesunt, opitulantur, iuuant. Cum uero literati uiribus ingenii excellentes, teneriori corporis constitutione maximam partem sint praediti, etiam uictus ratio, uitae generi, et partium,

C 2

qui

(g) Oper. Tom. I. lib. Epidem. 6. sect. 3. conf. Sponius aphor. nouis Hippocratis sect. 2. §. 27. p. 78. et 79.

quibus constant, dispositioni accommodanda, ac tantum cibi portionisque adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur. Haec perpendens CORNELIVS CELSVS, (h) traditis primum explicatisque, quae robustis obseruanda sunt, praeceptis haec infirmis dat monita: (i) at imbecillis, ait, quo in numero magna pars urbanorum, omnesque pene cupidi literarum sunt, obseruatio maior necessaria, ut, quod uel corporis, uel loci, uel studii ratio detrahit, cura restituat. Temperantiae, quae custos uitae ac robur animi, sint addictissimi, Galeni inhaerentes uestigijs, qui a mensa nunquam satur discedens, licet literarum fuerit heluo, summoque philosophiam et medicinam coluerit, docuerit, atque exercuerit feruore, centum et uiginti annos uixisse dicitur. Cum Platone coenent, quo et postero die bene se habeant, semper expendentes, quod iucunditas uictus in desiderio, non in satietate consistat, ac, quod ingluuies et crapula sit alimentum morborum. Quis igitur, hoc in studijs, in uictu, obseruato ordine, literarum culturam, tanquam sanitati infensam, damnabit? Quis amplius de literatis, suffragante pronuntiabit ueritate, quod infirmo sint uentriculo, eoque non optime utantur. Quot hoc modo reperiuntur literati, qui in scientiarum artiumque cultura indefessi, sola, eaque simplici utuntur aqua et nihilo secius talem stomachi uirtutem ac robur obtinent, quale digerendi ratione quirit, quale optima ualētudo postulat? Gorgias literis perpetuo abditus, sobrietatis ac simplicis ministerio uictus ad summam senectutem morborum expertem peruenit. Quid dicam de Pyrrhone, Bione Porysthene, Crate Cynico, Alexi, Cleomene Lacedaemonio, Aleamene, Pescenio Imperatore, Catone Censorio, Tiraquello? illi sane omnes, frugalitatis et literarum studio addictissimi, diu sine omni incommodo uixerunt. Caue praeterea, ne spurios musarum alumnos, abominanda gulae mancipia, quae uiuunt, ut edant et bibant, non bibunt atque edunt, ut uiuant, ueris et genuinis annu-

(h) Lib. de Medicina, qui ex recognitione Ioh. Ant. van der Linden, au. 1667. in 12mo, Lugduni Batauorum prodit, lib. 1. cap. 1. p. 21. (i) lib. et edit. cit. cap. 2. p. 23.

annumeres literatis. Quot reperiuntur sic dicti literati, Epicuri de grege porci, qui abdomen curantes, studia negligentes, omne tempus perpotationibus atque ingluuie consumunt, qui non Lucanum, sed Lucanica amantes, non studiosi, sed studio sues sunt, uentrique saltem uiuunt et seruiunt. Iuste hinc huiusmodi gulosum, Poeta sequentibus perstringens, sui officii, admonet: tu seruis uentri, tibi quem seruire decebat: sic seruo, uerso munere, seruit herus. Nemini igitur mirum uideatur, si in huiusmodi hominibus et mentis et corporis uires labefactatae uacillent, gulosi sunt morbos, ac multos morbos, multa fecerunt fereula, nihilque ingeniis tam pestilens ac mortiferum est, quam luxuria. Quis uero tum studia, summas summorum ingeniorum delicias, quis infontem uentriculum iure potest accusare? Satis bene in iisdem uentriculus est constitutus, unde appetitus uiget, eaque, quae ingerunt, probe digerunt, distribuunt, atque egerunt, imo ea, quibus uescuntur, bene sapiunt, insipiente animo. Perapposite hinc Poeta: (k) si tibi mens saperet, ueluti sapit ore palatum; tu sapiens dici summus in orbe queas. At sapit os tantum, mens pectore desipit imo; hinc comedo & fatuus maximus esse potes. Sed surdis narratur fabula, & maxima pars hominum morbo iactatur eodem. Hoc uini nos docet abusus, quo largius hausto, multi literati non uentriculum roborant, sed debilitant, atque uberiorem morbis materiam nouumque fomitem suppeditant. Quod, si ita eueniat, non incontinentia atque intemperantia, sed uentriculi tonus omnino prostratus, in crimen uocatur, *der Magen*, uti loquuntur, *taugest gar nichts*. Haud noua est, quae iam cum uentriculo luditur, comoedia, antiquissima est priscorum populorum consuetudo, quam nostris celebratam temporibus adeo darestamur. Ad haec attendens CELSVS (m) meus, enume-

C 3

ratis

(k) Frid. Hoffmannus Luf. Epigram. Amstelodami ao. 1663. in 12mo edit. cent. 5. epigram. 59. p. 99. (l) Cit. Hoffmannus cit. lib. Cent. 3. epigram. 92. p. 65. (m) de Re medica ed. cit. lib. 1. cap. 8. p. 40. in fine.

ratis primum infirmi signis uentriculi, indicatisque, quibus illi succurrendum, subsidiis, sequentem demum cautelam subiungit: quae, in quo non sunt, is firmi stomachi est; neque credendum utique nostris est, qui, cum in aduersa ualitudine uinum aut frigidam aquam concupierunt, deliciarum patrociniū in accusationem non merentis stomachi habent. Nec promiscuus uini usus, nec omnia uinorum genera, omnibus, qui male constituto laborant uentriculo, conueniunt; nec uinum uentriculi saltem uitium, sed quibusuis quoque aliarum partium morbis, ubi irritatione, ubi adstrictione, ubi resolutione opus est, medetur, quod in Paulini explicatione consilii, Timotheo suppeditati, exacte obseruandum, cum non quaeuis subiecta, quouis tempore, omnes uinorum species ferre queant, sed ex illorum usu in uaria tam uentriculi, quam totius corporis incommoda incidant. Solis gaudet abstemius undis, simplici que sitim aqua leuat, sufficienti uentriculi robore praeditus. Alius Mosellani Rhenanique haustibus uini assuetus, male se ex Hispanici potu uini habet, cum alius contra dulcibus delectans uinis, grauiā ex assumpto uino Rhenano mala, uti restatur PECHLINVS, (n) experiatur. Alius nonnisi aqua diluto, alius mero utitur uino. Alius aliaque, nonnisi certo tempore, uinum assumere potest. Refert ita VALLERIOLA (o) de sua coniuge, eandem, prius adeo abstemiam fuisse, ut ad uini odorem saporemque nausea fuerit correpta, quae tamen partus laboribus defatigata sanguinisque profusione exhausta uinum generosum, idque merum auide et copiose hauferit, mireque ab eodem uires reparari, affirmarit. Simili plane ratione uinum generosum Dominae de Cerisay profuit, quae, uti habet RIOLANVS, (p) per duos aut tres menses diarrhoea decumbens, et solis liquidis sustentata, maximam uentriculi laxitatem atque atoniam con-

(n) *Obf. physico-med.* quae in 4to Hamburgi 1691. prodierunt, lib. 1. *obf.* 49. p. 114. sequ. (o) *Obseruat. med.* Lugduni 30. 1788. in 8uo edit. lib. 1. *obf.* 1. p. 12. (p) *Encheirid. Anat.* edit. cit. lib. 2. cap. 24. consideratione p. 128.



contraxerat. Minus contra proficuum erat uinum in Gondardo, sacerdote, uiro septuagenario, qui, teste VALLERIO LA, (q) uini generosi Aretalenfis amans, plus sibi in huius deglutitione indulgendo, dextri paralyfi lateris affectus, sola sanguinis abundantis euacuatione curatus fuit.

VII. Ne uero leuis infirmaque, quam suscepimus, uentriculi defensio uideatur esse, ab ouo rem ordientes, uisceris huius in infantibus modo natis, reliquaeque hominibus aetatis, statum, illique imputata crimina, examinemus. Quam primum infans materno extractus ergastulo hanc aspexit lucem, uix per aliquot horas quietus relinquitur, sed mox uel matris uel nutricis mammis lacte turgidis admouetur, ubi deinceps, hoc humore uberius haustus bene saturatus, ex iis, quae secum ex utero asportauit morborum seminibus, lactis copia et uitio auctis atque exasperatis, uario cruciatur dolore, plorat, omniaque uagitu complet. Tum illico iterum mammae praebentur, extractoque infans repletur lacte. Nec his acquiescunt matres et nutrices, sed pulciculam porro ex lacte, ouis, similagine similibusque paratam addunt, iisque tenerum infantis corpus adeo obruunt, ut plane non mirandum esset, si mox suffocatione alioque mortis genere obiret. Quid aliud hinc expectandum, quam pituitosae uomitus materiae, statuum coaceruatio, tormina, et plures aliae, quibus infantes affliguntur, infirmitates? Si quaeras ex matribus uel nutricibus, quae sit horum incommodorum causa, quae origo? uentriculi allegatur debilitas, *des Kindes Magen ist gar zu sebr sebrwach.* Qua uero, qua quaeso, rerum conuenientia, in infantibus, quorum partes omnes adhuc tenerae sunt, tam robustum, qualem adulti possident, uentriculum desiderare potes? Respice proportionem, quae inter omnes ac singulas corporis partes, ad prosperae tutelam ualitudinis, requiritur, sufficientem sane uentriculi uirtutem deprehendes. Ac, quid aliud, uiscidarum colluuiis cruda-

(q) Obseruat. med. edit. cit. lib. 4. obs. 4. p. 343. et sequent.

ditatum uomitu reiecta innuit, quam auctam uentriculi uim elasticam, cuius adminiculo, talis noxia materia, metuendorum fomes morborum, tempestiue, antequam nimis cumulata altas agat radices, reieicitur? unde tritum sermone est prouerbum: *Spey Kinder, Gedy Kinder*, quia tum uomitus est bonum signum malae causae; indicat nempe firmum stomachi tonum, cuius auxilio collectae reiciuntur impuritates. Si paululum, uno alteroue anno praeterlapso, corporis moles solidior et maior redditur, uictus atque educationis errores cum annis multiplicantur; quauis fere hora nouum, idque uarium alimentum exhibetur. Si quis hanc uictus & educationis rationem reprehendit, corporis incrementum, quod uberiori egeat alimento, affertur, atque ad HIPPOCRATIS (r) prouocatur testimonium, qui pueros, praefertim uiuidiores, ieiunio perferendo minus aptos, pronuncians, sequentem affert rationem: τὰ αὐξανόμενα πλείστον ἔχει τὸ ἔμψυτον θερμὸν, πλείστης δὲ δαΐτα τροφῆς· εἰ δὲ μὴ, τὸ σῶμα ἀναλίσκεται. Nihil aliud uero ex allegatis Coi nostri uerbis eruitur ac demonstratur, quam, quod aliam aetatem alia deceat diaeta, ac, quod pueris, ob auctas, auctis successiue annis, solidorum uires, & promotum acceleratumque fluidorum motum atque attritum, uberior pededentim alimentorum congruorum, corporis conseruationi atque incremento prospicientium quantitas, iusto, quod chylicationis negotium demonstrat, tempore exhibenda sit. Sed, ne quid nimis, πᾶν τὸ πολὺ πολέμιον τῇ φύσει, omne nimium, ait HIPPOCRATES, (s) naturae inimicum. Dehinc necessariam, inter nutrimenti quantitatem, et corporis nutriendi uires, comparisonem instituentes, auream in puerorum nutritione amplectamur atque exerceamus medioeritatem, cuius terminos sequens regula Hippocratica (t) nobis sistit: ἡ πλησμονή, ἡ λιμός, ἡ δ' ἄλλο ἕδεν ἀγαθόν, ὅτι ἂν μᾶλλον τῆς φύσεως ἦ.

Eandem

(r) Aphorism. sect. 1. aphor. 13. et 14. edit. quae in 16mo Lugd. Batau. ex offic. Elzeuiriana prodit, p. 14. et sequ. (s) aphor. ed. cit. sect. 2. §. 51. p. 44. et sequ. (t) aphor. sect. cit. §. 4. p. 24.

Eandem, alio idem (u) loco, sanitatem tuendi, methodum commendat, *σιτία*, scribens, *ποτά, ύπνοι, ἀφροδίσια, πάντα μέτρια*. Tutissima ac certissima haec est uia, qua & adultae & prouectioris homines aetatis incedentes, aequale uentriculi robur defendendo, aequalemque omnium partium nutritionem & uires promouendo, uniuersum corpus, a plerium incurfu morborum incolume, sartum, tutum tectumque conseruare possunt. Praecipue adolescentes nunquam ab HIPPOCRATIS (x) monito ne hilum quidem deflectant, indicantis, quod, *ἀσκησις ὑγίης, ἀκορὴ τροφῆς, ἀσκήνη πόνων*, sobrietas nempe in uictu, atque indefessus labor, optima sanitatis praesidia sint. His muniti iuuenes subsidiis, integrum uentriculi robur, & ad seram usque senectutem, propagabunt; senes enim ex dentibus uires reparare coguntur, ac senectutis futura, est uentriculus bene constitutus, uentriculi autem, cibus. Cum uero, ingrauescente aetate, ex assiduo, quo uita constat, solidorum in fluida, ac fluidorum in solida motu, gelatinosum serum deficiat partim, partim a bona deficiens indole crassum uiscidumque euadat, nerui uero & ex his compositae partes diuturno exsiccaatae durataeque atritu uiribus diminuantur atque infirmentur, hinc etiam his circumstantiis, uictus cultusque senum accommodandus, atque ad uires & constantem prosperae ualitudinis conseruationem, non ad uoluptatem, senibus perniciosissimam, referendus est. Hoc sensu accipiendum explicandumque *ὀλίγον τὸ θερμόν*, quod senibus inesse, pauco conseruandum alimento, HIPPOCRATES (y) perhibet, *γέροντες δὲ*, sunt illius uerba, *ὀλίγον τὸ θερμόν. διὰ τὸ αὐτὸ ὀλίγων ὑπεκκαυμάτων δεόνται ὑπὸ πολλῶν γὰρ ἀποσβέννυται διὰ τὸ καὶ οἱ πυρετοὶ τοῖσι γέροντι ἐχὼ ὁμοίως ὀξείας ψυχρὸν γὰρ τὸ σῶμα*. Senes igitur coena prandiumque breue, parcius, hilare, simplici constans cibo potuque, iuuat; incommoda uero seni-

D

bus

(u) Lib. 2. de diaeta. (x) Lib. Epidem. 6. sect. 4. conf. Sponius aphor. nou. sect. 4. §. 72. p. 266. et sequ. (y) Aphorism. sect. 1. §. 14. edit. cit. p. 16.

bus familiaria, non a uentriculi labe, sed ab exhaustis fractisque torius machinae uiribus repetenda sunt.

VIII. Quo certiori ac stabiliori, haec, quae modo proposita sunt, fundamento nituntur, eo magis uentriculi in reliquis, quae illi impurantur, uitiis, integritatem atque innocentiam constare arbitror. Libenter ac studiose relinquo, quae de speciali stomachi in sequiore sexu debilitate a multis afferuntur, cum & antecedentia monita hic locum habeant. Ne ulteriori quidem, multo minus peculiari refutatione dignam censeo illorum sententiam, qui in uentriculo quarumuis sedem infirmitatum constituunt, contrarium plane, specialium exemplis morborum, demonstraturus. Febris, eaque intermittens, primus sit morbus, qui nostro scito stabiliendo seruiat. Febrem intermittentem suos natales ex uentriculo trahere, ac semper & perpetuo a stomachi cruditatibus oriri, sic dictorum turba medicorum clamat, editisque asserit scriptis. Prouocatur hinc ad intermittentium symptomata febrium, appetitum prostratum, nauseam, uomituram, alui constipationem, diarrhoeam, uentriculi ardorem, abdominis tumorem, cardialgiam. Sistuntur multae aegrotorum historiae, qui, commissis in uictu erroribus, ex perpotationibus & uigiis nocturnis, ex uberiori alimentorum uiscidorum crudorumque deglutitione, in febres inciderunt. Allegatur Celsi regula, affirmantis: febres abstinentia ac quiete curari. Afferuntur sexcentae & plures, quas Rulandus annotauit, observationes, quibus omnibus, salutaris, aquae benedictae Rulandi, remedii emetici, usus, in febrium, quas intermittentes dicunt, cura, euincitur. Citantur plura ex Renealmo exempla aegrotorum, a febribus intermittentibus, procurati subsidio uomitus, cito ac tuto liberatorum. Urgetur, & multiplici confirmatur experientia, remedia stomachica, in febrium intermittentium medela, tutissima & certissima esse subsidia, ad quae, tanquam sacram anchoram, confugere deceat. Imo, ut paucis omnia complectar, huius sententiae, quam improbamus, quam euertimus, fauto-

fautores, omni eandem cura & plurium coaceruatione argumentorum stabilire conantur. At enim uero, quem ueritatis rerumque naturam perspiciendi ac recognoscendi cupidum, quem artis salutaris peritum, & omnia, quae febres tam antecedunt & comitantur, quam sequuntur, rite examinantem & perpendentem latet, quod haud raro febris intermittens, luxus, ingluuiei, crapulae, peruersae diaetae, & hinc repleti onustique cruditatibus uentriculi, fructus effectusque sit? Quis sanae compos rationis affirmavit unquam, aut affirmat, quod remedia emetica, aliaque, emendandis alias stomachi uitiiis dicata ac congrua, non peraeque profligandis & radicitus extirpandis febribus intermittens quandoque conueniant & sufficiant? Sine ulla sane contradictione & haesitatione concedimus, quod febrilis sentina & fomes materiae frequenter in uentriculo haereat, congruorum praescriptione euacuantium, uel per superiora, uel inferiora expurgandus exhauriendusque organa; nec diffitemur, quod tum tempestiua euacuatione suscepta, ab omni insultu febrili, quo antea uehementer affligebatur, solutus ac liber euadat aegrotus. Quis uero, nisi inconsideratissima deprauatus dementia, atque insana contradicendi libidine inflammatus plane & furens, ab una alteraue historia, imo multorum collectione exemplorum, si plures pariter observationes contrarium euincentes, & uulgo notae, adsint, uniuersalem regulam & conclusionem formabit, sanae omnino rationi ac quotidianae contradicturus experientiae? Considerate, quaeso, considerate, inquam, quot homines, uel aëris mutationibus, iisque repentinis & uehementibus, uel animi perturbationibus, aut suppressis, quibus corpus quotidiana assuetum consuetudine, secretionibus, ut uarios errores, in motus, quietis, somni & uigiliarum abusu, commissos, frequentes febrium auctores, silentio transeam, intermittentes continuasque febres, sine ulla uentriculi labe uitioque, sine ullo uictus peccato, temperantiae & frugalitatis leges quouis tempore summo obseruantes rigore experti passique fue-

runt? cum alii contra copiosis uariae indolis cibis uentriculum perpetuo onerantes, maioraque affatim pocula strenue haurientes, a febribus immunes uiuant. Quid insontis praeterca exceptiones monitaque uentriculi profunt? qualia eiusdem tum peccata criminaque, si eundem, nimia alimentorum & potulentorum copia obruendo, naturalibus, quae ad perficiendum chylicationis negotium necessariae sunt, uiribus priuasti? Epulae omnino atque ingluuies cruditatem afferunt, atque ebrietas neruorum torporem tremoremque inducit; uarietas enim atque abundantia cibi potusque hominibus pestilens, pestilentior condimentorum. Sed, quis horum uitiorum culpam in miserum misero corruptum uictu uentriculum conferet? quamdiu enim, ait **SENECA**, (z) sanus, & salubris cibi capax stomachus est, impleturque, non premitur, naturalibus fomentis contentus est. Vbi uero quotidianis cruditatibus, non temporis aestus, sed suos sentit, ubi ebrietas continua uisceribus infedit, & praecordia bile, in quam uertitur, torret, aliquid necessario quaeritur, quo aestus ille frangatur, qui ipsis aquis incalescit, remediis incitat uitium. Itaque non aestate tantum, sed & media hyeme, niuem hac causa bibunt. Quae huius rei ratio est, nisi intestinum malum & luxu corrupta praecordia, quibus nullum interuallum unquam, quo interquiescerent, datum est, sed prandia coenis usque in lucem perductis ingesta sunt, & distentos copia ferculorum ac uarietate, comestatio altius merfit? Deinde nunquam intermissa intemperantia, quicquid ante decoxerat, efferauit, & in desiderium semper noui rigoris accendit. Non est necesse, omne perscrutari profundum, nec strage animalium uentrem onerare, nec conchylia ultimi maris ex ignoto littore eruere. Dii istos Deaque perdant, quorum luxuria tam inuidiosi imperii fines transcendit, ultra phasin capi uolunt, quod ambitiosam popinam instruat; nec piget a Parthis aues petere. Vndique conueniunt, omnia nota fastidienti gulae.

Quod

(z) Oper. edit. citat. Natural. Quaest. lib. 4. cap. 13. p. 755. & 756.

Quod dissolutus delictis stomachus uix admittat, ab ultimo asportatur oceano. Vomunt, ut edant. Ita Seneca de luxu Romanorum. Et nostris nostrates temporibus, uoluptati atque intemperantiae indulgentes, non uentriculi, sed incontinentiae culpa, qua a tota mente rectaque deficiunt ratione, tot afficiuntur malis, tot, quae febres afferunt, incommoda, tolerare tenentur. Abstinencia igitur & quiete, ex Celsi regula, huiusmodi febres curari, eandemque medendi methodum in plurimis Principum Magnatumque aulis a longo iam esse receptam tempore, haud mireris, mirans potius, quod huiusmodi gulae mancipia, brutis deteriora animantibus, adhuc uiuant, multaque ex iisdem tam firma prosperaque fruuntur ualitudine. Laudanda merito atque approbanda in tali rerum statu abstinencia, abstinenciae uero causa, ab antecedente luxu atque incontinentia dependens, acerbam meretur reprehensionem. Magis adhuc plebis & infimae apud nos multitudinis mores improbandi, ex qua, si quis in febres, peruersae erroribus diaetae, incidit, se illico, sine assumtis quotidie alimentis, periturum, credit, & hinc, non tam de collectarum expurgatione cruditarum, quam de prostrati restauratione appetitus, & de ciborum potulentorumque palato arridentium deglutitione sollicitus, cruditates cruditatibus cumulando, nouumque febrim fomitem suggerendo, morbum uehementiorem, curatu difficiliorem & diuturniorem reddit. Huiusmodi farinae hominibus serio inculcandum sequens HIPPOCRATIS (a) praeceptum: τὰ μὴ καθάραι τῶν σωμάτων ὁπόσον ἀνθρώπου, μᾶλλον βλάψεις. Longe aliter idem comparatum est cum febribus, suppressae per frigidum aerem perspirationi, impeditae sanguinis menstrui secretioni, nimio corporis exercitio & peruigilio, succedentibus, aliisque similes causas similemque originem agnoscentibus, in quibus, cum uel per consensum afficiatur uenter, uel integer

D 3

omnino

(a) Aphor. Sect. 2. §. 10. edit. cit. p. 26. &amp; 27.

omnino huius uisceris status sit, ex actionum, quas perficit, integritate, integro scilicet appetitu, digestionem, egestionem, sine ullo constanter & libere peractis incommodo, cognoscendus, nec emeticum remedium, nec abstinencia, nec sic dicta stomachalia conuenient, multo minus ad curam rite absolendam, sufficient. Bis idem historiis alio scripto (b) iam demonstraui, quibus recens, quam modo exacte compertam notauimus, obseruatio addenda: foemina scilicet uiginti quatuor annorum, satis robusta, sanguinis laborans abundantia, tempestiua, cui assueta erat, uenae sectione neglecta, post uehementiorem corporis commotionem, quarto a conceptione mense abortum patitur, quem eadem satis adhuc uegeta parui faciens, mox peregre abeundo, aerisque iniuriis sese committendo, repentinam fluxus lochiorum suppressionem, abdominis tumorem, dolorem, aliaque plura experitur symptomata, quibus demum febris quartana intermittens sese associat. His ita constitutis consulitur medicus, qui, huius mali causam in uentriculo quaerens, repetitis emetica & purgantia medicamenta uicibus praescribit, adiuncto interpositoque sic dictorum stomachalium amarorum usu; sed, exoptati loco effectus, febris incommoda augetur, exacerbantur, oedematosis pedes tumor occupat, difficilis redditur respiratio, somnus omnino turbatur; exhibentur denuo purgantia & sic dicta stomachalia, uerum eodem, imo deteriore adhuc successu; mutatur quippe hydrops pedum in anasarcam, omnes uniuersi corporis partes, effuso extra uasa sero, distendentem, qua demum, aegrotata, omnibus per emeticorum ac purgantium abusum uiribus spoliata, obiit. En uentriculum infontem! en infontis uentriculi praepostera euacuantium praescriptione defatigationem & corruptionem!

IX. Neminem igitur, cui haec satis perspecta cognitaque sunt, fore credo, qui HELMONTIO (c) BONETO-que

(b) Part. I. Moment. Pathol. cap. 11. a p. 26. usque ad 31. (c) Oper. quae in 4to Francofurti 1672. edita fuerunt, & his annexis Opusc. inauditis, Tr. qui dicitur tumulus pestis, p. 232.



que, (d) pestis & malignarum originem febrium a uentriculo deducuntibus, assensum praebeat. Quid, coeci horum auctorum asseclae clamabunt, putas? febris malignae pestisque fomes utique in stomacho haeret. Saliuae enim uehiculo, uirulenta ad uentriculum materia deriuatur, huc deriuata anxietatem, nauseam, uomitum, cardialgiam, excitat. Cadauera deinceps his morbis demortua, testibus SPIGELIO (e) & PANAROLO, (f) cultro anatomico subiecta, uentriculum, uel inflammatum, uel omnino nigrum, exhibuerunt. Demonstrationis uero uim, quam hisce argumentis inesse autumas, adhuc desidero. Si enim uenenata, quae tibi per coelum dispersa concipis, effluuia, saliuae se insinuant, aeris certe, tanquam horum effluuio- rum uectoris, ministerio, ori & faucibus primum, & deinde deglutita saliuua, uentriculo communicabuntur. Quae igitur est ratio, cur nullum exinde in ore incommodum percipiatur? cur non hinc afficiantur pulmones? facilius quippe, ab huiusmodi effluuiis aeri admixtis, teneram pulmonum continuo agitatorum motu substantiam, quam constanter & perpetuo perpetua aer respiratione subit, laedi atque inflamari, existimarem, quam uentriculum gelatinoso septum obductumque liquore, ad quem miasma contagiosum saliuua inuolutum implicatumque deriuatur. Cur multi praeterea malignis afficiuntur febribus, qui nec cum huiusmodi aegrotis ullum unquam habuerunt habentque commercium, nec libero se committentes aeri, conclauis ab accessu undique munito, tanquam caueae inclusi, uiuunt? Cur & iidem, qui quouis fere momento saliuam exscreantes, dum in hac metho- do certum contra febres malignas praesidium ponunt, in eisdem incidunt? Cur contra alii, quibus perpetua cum huius- modi aegrotis est consuetudo, & qui cum iisdem edunt, bibunt, nihil mali experiuntur? Quod denique summa & caput rei, de  
qua

(d) Anat. Pract. edit. cit. Tom. II. lib. 4. Sect. 1. obs. 57. schol. §. 3. p. 1487. (e) lib. 1. de semitertiana cap. 16. (f) Pentecoste 4. obs. 8.

qua disputamus, existit, non ea, quae allegasti, signa & symptomata, malignae essentiam febris constituunt, sed eadem eandem modo comitantur, modo febris maligna iisdem destituta aliisque stipata incommodis hominem inuadit. Repentina quippe uirium, deficiente, quae sufficiat, causa manifesta, prostratio, & grauiora praeter morem symptomata, essentialia febris malignae signa sunt. Dehinc per saepe malignae ingruunt febres, ubi nullum a uentriculo incommodum percipitur, ubi nec nausea, nec uomitus sentitur, & nihilo secius aegroti de summo conquirentes languore aliis grauissimis symptomatibus misera prorsus torquentur ac cruciantur ratione. Hoc etiam cadauerum huiusmodi morbis defunctorum sectio demonstrat, in quibus nulla uentriculi labes, nullum plane uirium, uti BONE-TVS, (g) sibi non satis constans, allegata historia, stomachum cum reliquis partibus purum & integrum sistente, confirmat, reperitur. Quod uero illa cadauerum apertorum exempla attingit, in quibus uentriculi inflammatio, exulceratio, maculae, nigredo, aliaque corruptionis indicia deprehensa fuerunt, probe notandum, quod, non uentriculus saltem, sed alia quoque uiscera, pulmones, hepar, lien, eodem affecta modo, atque iisdem deformata uitiis fuerint, ita, ut talis uentriculi ac uiscerum reliquorum deprauatio, non ut causa atque origo febris malignae, sed ut effectus eiusdem, a salium acrimia alcalinorum excessu atque acrimonia dependens, considerandus sit. Rationi igitur, his, quae modo innui, ad experientiam applicatis, maxime consentaneum, quod imprudenti uolatilium salium, aut iisdem abundantiam remediorum, quibus multi sibi cordialium atque alexipharmacorum titulo utuntur, praescriptione, aucta solidorum in fluida actione, exasperataque humorum acrimonia, resolutio intendatur, aestus exacerbetur, & inflammatio uentriculi aliorumque uiscerum inducatur, quae sane tempestiuo temperaturum acidorum, nitrosorum, serosorum & gelatinosorum usu

(g) Anat. Pract. edit. cit. Tom. II. P. 4. S. 1. §. 4. in fine p. 1487.

usu auerti ac praeueneri potuissent, uti ex THOM. BARTHO-  
LINI (h) obseruatione satis liquet, qui, multos allegata meth-  
odo, quam in febrium malignarum medela repudiauimus,  
periisse primum, refert, cum multi deinceps, repudiatis resol-  
uentibus remediis, horumque loco refrigerantibus ac diluenti-  
bus adhibitis, seruati pristinam recuperarint sanitatem.

X. Regium nunc tibi morbum sisto examinandum, in quo  
uentriculus omnis saepe criminis expers, a plurimis, tanquam  
ordinaria ac perpetua huius morbi sedes, accusatur, culpatur, at-  
que euacuantibus & sic dictis tonicis irritatur, debilitatur. Ar-  
quati originem a uirulento uentriculi fermento HELMON-  
TIVS (i) arcessit, icterus namque, scribit idem, nusquam ali-  
bi uiget magis, quam in atrio stomachi, unde suas excitat an-  
xietates & suspiria, designans ibidem tesserae suae ferociae uer-  
sari. Huic opinioni confirmandae seruit HORSTII (k) hi-  
storia, qui auriginem ab immodico pomorum ac castanearum  
esu, & hinc coaceruatis in uentriculo cruditatibus, emetico re-  
mouendis, annotauit. Satis quoque notum est, quod uulgus me-  
dicorum fouet de icteri & biliosarum generatione febrium, prae-  
iudicium, qui bilis in uentriculum regurgitationem accusant,  
*die Galle*, uti loquuntur, *ist ihm in Magen getreten*. Vnde  
uero bilis regurgitatio? ac qua, quaeso, ratione, bilis ad uen-  
triculum propulsa icterum producit? Bilis quippe, uti canalis  
alimentorum fabrica, exactioris subsidio anatomiae clarius  
perspecta, docet, non potest, nisi inuerso intestinorum motu,  
quem peristalticum medici dicunt, ad uentriculum amandari,  
cum pylorus eiusdem tam arcte sit clausus, ut ne statum qui-  
dem, uentriculi cavitatem uersus ex intestinis propulsum, ad-  
mittat, multo minus bilem, humorem pinguem, sua natura ad  
inferiora descendantem. Nec tum, si bilis ad uentriculum a-  
scenderet, icterum, sed uomitum biliosum, choleram, cardial-

E

giam,

(h) Cent. 3. epist. 4. (i) Oper. edit. cit. tr. quo confirmatur morbo-  
rum sedes in anima sensitua §. 13. p. 534. (k) Obseruat. medie.  
lib. 4. hist. 36.

giam, aliaque stomachi incommoda crearet. Minus pariter approbanda Helmontii sententia, cum multi aegroti regio laborantes morbo, nullam in uentriculo & circa uentriculum laesionem, nullam in illius actionibus mutationem, sed debitum in iisdem ordinem atque incolumitatem percipiant. Merito praeterea, si talis massa uirulenta, uentriculo inhaerens, icteri, uti Helmontius arbitratur, causam constituit, quaeritur, unde huius origo, an a sanguine, uel assumtis alimentis, potulentis, medicamentis, uenenis? Quocumque demum mentis aciem dirigamus, plura uentriculi infantis ac falso accusati documenta, exempla atque argumenta deprehendimus. Quod praecipue in Horstii tenendum obseruatione, si enim aegrotus ille, cuius mentionem facit Horstius, aureae terminos frugalitatis ac temperantiae non uiolasset, ab omni iniuria, ab omnibus cruditatibus, tum uentriculus, tum totum corpus liberum ac sospes mansisset. Multiplici insuper experientia constat, quod frequenter bene constituto uentriculo, ex sola hepatis obstructione atque impedita bilis secretionem, icterus ortum duxerit. Haud raro, integra uentriculi ac hepatis constitutione & functione, ex nimia sanguinis resolutione, ac gelatinosi defectu feri, arquatus generatur, quam auriginis causam, omnes pene Sardiniae incolae, sub aestatis finem, afficientis, VALESCVS de TARANTA (1) affert. Quandoque morbus regius critica biliosi humoris in sanguine excedentis secretio atque excretio est, interdum idem a succis nutritiis nimium dissolutis atque exhaustis dependens, funesti & mox instantis prodromus termini existit. Ex his porro discere potes, quam perniciosa sit in pathologiae medicae exercitio illorum sententia, qui omnis icteri originem a uentriculo deducunt, eiusdem medelam ab emeticis inchoandam esse, nec radicalem huius morbi extirpationem sine emeticis perfici posse, perhibent. Quo praecepto imbuti plebei homines constanter urgent ac monent, ut iisdem uomitorium exhibeatur, *es wird mir nicht besser*, solennis est illorum formula

(1) Philon. Pharmaceut. & Chirurg. lib. 5. c. 8.

mula loquendi, *vann nicht die Galle aus dem Magen kommet.* Non allegabo iam, ne crabrones irriterem, celeberrimi medici scripta, scriptorumque locum, quo distinctis haec sententia verbis expressa proponitur, proposita commendatur, hoc saltem monendum esse duco, quod raro in icteri cura remedium emeticum conueniat, quia hinc inuerso uentriculi per excitatas conuulsiones motu, totum systema neruofum uehementer irritatur, succi nimium exagitantur, auctoque sanguinis attritu & acrimonia, non arquati saltem incrementum, sed alia etiam grauiora adhuc symptomata, uiscerum nempe inflammatio, febris continua, totius corporis tabes, metuenda sunt. Aduerti idem in aegrotto uiginti & sex annos nato, qui frequentium molestis itinerum, moerore, ira, uigiliis fatigatus, ictero, quem a colore aureo flauum dicunt, corripiebatur. Adit ac consulit hoc affectus medicum, qui mox forte emeticum, deinceps essentiam amaram praescribens, demum, rebus in deterius mutatis, ad laxantis usum decocti confugit, quo usurpato, cum aegrotus maiorem indies uirium iacturam, continuam sitim, aestum febrilem, ac flauum colorem in nigricantem mutatum perciperet, priori medico repudiato, alium accersendum curat, qui respiciens ficiorem corporis constitutionem, eamque, quae supra indicata fuit, huius morbi originem, solis aquosis & salibus digestiuis, acidis ac nitratis, & febrem, & arquatam, breui profligauit tempore.

XI. Haec medendi methodus exoptato suscepta & peracta successu, omne contrariae ac sibimet inuicem repugnantis, quam uentriculo hepaticae multi tribuerunt, uirtutis & temperiei fundamentum simul ac semel tollit & subruit; plures quippe medici peculiarem uentriculi ac hepatis *αὐτίμαξιν*, tanquam frequentem difficilis morborum medelae causam, sibi conceperunt. Ab hac sibimet inuicem inimica indicatorum uiscerum constitutione, LAELIUS A FONTE (m) suffusionis,

E 2

qua

(m) Consultat. medic. in suo, An. 1609. Francofurti ad Moenum editis, conf. 60. p. 364. & sequ.

qua Nobilis Pisaurenſis laborabat, originem & cauſam deducit, ridiculam plane ſuae ſententiae explicacionem ſuppeditans. Eiuſdem momenti & ponderis eſt SENNERTI (n) quaestio, an & cur, qui hepate ſunt calidior, debilem obtineant uentriculum? Vberius hanc ſententiam CRATO A CRAFFT-HEIM (o) explicat ac defendit, aſſerens, fortiori hepatis aeſtu hebetem uentriculi calorem plane deſtrui. Eadem cenſura dignum eſt ſcitum FERNELII (p), qui in enodanda hac functionum & temperamentorum *ἀντιπαράθεσις* occupatus, ab hepate calidior non tam frigidior, quam debiliorem potius uentriculum reddi, aſſerit: Si utrumque utriuſque uisceris uitium modo deſcriptum concurrat, curam periculi plenam eſſe, ac difficulter inueniri remedium, utriusque malo accommodatum, HOEFERVS (q) perhibet. Haec de frigida ſtomachi & calida hepatis intemperie perſuaſio late diſſeminata adeo altas in quorundam animis egit radices, ut multis, quibus medela morborum imprudenter ſuſcepta minus promte atque ex uoto ſuccedit, certum iam tutumque euaserit ignorantiae aſylum, *vvir vvollten*, dicunt iidem, *der Kranckheit bald abbeſſen, vvanu nicht der Magen kalt, und die Leber bizig vvaere, vvelches zvey ganz contraire Zufuelle ſeyn, da eines des andern Cur bindert*. Miſere hinc huic praeciuſicio addicti mentem in varias diſtractam partes inanibus inutilibuſque fatigant meditationibus, non inuenientes, quid in hoc rerum ſtatu ſit opus utileque factu; alii quippe, internis remediis hic omnino repudiatis, externa duntaxat auxilia in uſum uocanda eſſe, cum citato CRATONE, (r) aſſerunt; alii CASPARIS HOFFMANNI (s) conſilium ſequentes, conſeruam roſarum, cui aliquot grana piperis albi per medium diſſecti immixta ſunt, propinant, exiſtimantes, piper aſſumptum, frigidum calefaciendo uen-

(n) in Paralipomen. ad lib. 3. Pr. Med. Part. 1. Sect. 1. cap. 5. p. 127. (o) Conſil. 3. f. 17. (p) Pathol. lib. 6. cap. 3. (q) Hercule Med. lib. 3. cap. 1. p. 154. (r) Conſil. 180. f. 515. & Conſ. 199. f. 577. (s) apud Cratonem Conſil. 102. f. 274.

uentriculum, suo fungi munere, deinceps idem iterum aluina integrum reddi excretionem; conseruam uero rosarum, ulterius progredientem nimio hepatis calori temperando ac subigendo inferuire. Sed, quis tam graues errores, qui nobis omne rationis lumen eripiunt, & quasi noctem quandam rebus affundunt, non illico reprobabit perspectos. Piperis certe grana, si emolumentum uentriculo praestant, idem, uolatilis subsidio salis, quo abundant, perficient. Nec tamen uolatilia piperis salia hoc praestabunt prius, quam a reliqua substantia separata, seroque solura. Si igitur a limpha gastrica uolatile piperis sal solutum imbibitur, non hinc uentriculus solum afficietur, sed tum etiam neruosi consensu systematis partim, partim mediante salis uolatilis per totum sanguinem omnesque partes distributione de eadem uirtute effectuque hepar participabit. Quemadmodum uero nimius hepatis calor incrementum ex piperis melli rosarum additi usu, ita uice uersa a melle rosarum, si, quae supponit Hoffmannus, ueritati responderent, maior sic dicti frigidi debilitas uentriculi, in quo quippe primam hoc remedium operationem exserit, expectanda esset. Quis igitur, nisi legum circuli sanguinis imperitus, ac rerum anatomicarum plane ignarus ac rudis, praeconceptae CASTELLI(t) opinioni subscribet, repudiatam uiscerum *ἀντιπράξιας* contra Ettmullerum defendentis.

XII. Eadem, & longe adhuc deteriora uentriculus in phthisi, hydrope, imo quauis uel tenuiore & sicciore, uel pleniore corporum constitutione, habet fata, in quibus idem persaepe immerens ac uacans a culpa, tam a medicis, quam aegrotis reprehenditur, damnatur. Vnam esse in homine animam, in uentriculo, tanquam lecto suo, residentem, atque ex hoc omnes facultates, uniuersi corporis conseruationi prospicientes dimanare, HELMONTIVS (u) perhibet. Hanc sententiam ob-

E 3

cforum

(t) Lexico medic. Lipsiae a Th. Fritschio, in mai. 4to an. 1713. edito sub tit. antipraxia p. 58. (u) Oper. edit. cit. tr. qui ius duumuiratus dicitur. §. 57. p. 296.

eforum graciliumque exemplis confirmare gestit; saepe, ait idem, (x) occurrit Capuccinus longo ieiunio grauatus, potuque pauco, & paruae cereuisiae saturatus, crasso tamen corporis habitu dotatus. Ex aduerso autem, cernuntur edaces, lautoque mangonio educati, insigniter macilenti; sane, utut utrumque hunc casum rumino, reperio fontalem stomachi digestionem, gubernatricem ceterarum, uelut sibi subalternarum. Multum omnino ad nutritionis negotium uentriculus contribuit, minime uero a uentriculo omnis obesitatis atque ariditatis causa, sed a diuersa solidorum totam machinam componentium dispositione uarioque secretionum atque excretionum statu dependet. Maxime hinc Helmontium, astutia Capuccinorum, simulatoque ieiunio & peruigilio deceptum fuisse, in aprico est positum; nam fames, motus & uigiliae, optima sunt nimiam praecauendi tollendique obesitatem subsidia, τοῖσι σώμασι, monet HIPPOCRATES, (y) τοῖσιν ὑγείας τὰς σάρκας ἔχουσι δὲ λιμὸν ἐμποιοῦσιν· λιμὸς γὰρ ξηραίνει τὰ σώματα. Multo minus credendum, quod corpus ieiunio & continuis fatigatum uigiliis, eam, quam hic in Capuccino sistit Helmontius, corporis molem, adipiscatur, cum praecipue detracto simulatae sanctitatis uelamento, nudatoque simulacro, sub sacerdotali ueste nequissimum intemperantiae exemplar atque omnium uitiorum complementum saepe deprehendatur. Quae perspicuus Poeta, (z) sequentibus luxuriosi dignitatem monachi ac sacerdotis describit: cum uentri uiuas, falso uocitare sacerdos, uerum iure facer bos uocitandus eris. Non tamen negandum, quosdam pauco utentes cibo, ex sola uberioris potus deglutitione, admodum pingues crassosque reddi. Luculentum exemplum praebent heluones, quorum plurimi anorexia laborantes, cibosque auersantes, solis sustentantur potulentis, admodum obesi, atque instar utriculi inflati, tumidi. Ratio uero huius rei satis est manifesta, ac non a uentriculo, sed a connata solidorum laxitate, per uberiorem

(x) tr. & pag. cit. §. 59. (y) Aphor. ed. cit. Sect. 7. §. 59. p. 198. (z) Hoffmannus lul. epigram. edit. cit. Cent. 6. epig. 36. p. 114.



riorem potulentorum ingurgitationem magis magisque aucta, dependet. Vbiq;e pariter terrarum multi siccioris naturae ac gracilis tenuisque homines corporis reperiuntur, qui ex largiori alimentorum affatim & frequentius assumtorum usu nullum augmentum percipiunt, *sie fressen*, est vulgi formula, *vwie die Trescher, und seynd doch so bager, daß sie moechten brennen*. Huius phaenomeni causa a multis uehementiori stomachi calori imputatur, qui HIPPOCRATEM (a) sequentes, huncce ex eodem allegant aphorismum: *Θερμοκόλλιοι ψυχρόσασκοι, καὶ λεπτοί, ἐπιφλεβοί, καὶ ὄξυθυμότεροι*. Enim uero, ut taceam, quod Hippocratica philosophandi ratio, τὸ θερμὸν ἐμφυτον, seu calidum innatum, acriter propugnans, atque ab eodem, omnium, quaecunque in homine eueniunt, functionum causam reperens, diu iam sit explosa, hoc unicum saltem monebo atque urgebo, quod hic ab Hippocrate atque eius asseclis, non effectus saltem cum causa, totum cum partibus, atque antecedens cum consequente confundatur, sed quod haud leuis etiam, in determinanda status corporis, de quo disputatur, origine, error committatur. Nam intensior appetitus, quo siccioris naturae homines gaudent, eiusdem constitutionis, ac salium in eadem excedentium, quibus limpha gastrica pariter imbuta est, effectus, non uero causa existit. Nihil dehinc huiusmodi subiectis magis infestum ac perniciosum, quam aeris feruor ac uolatilia medicamenta, quibus solidorum motus atque ariditas augetur, aucta in tabem & hecticam demum febrem degenerat, quae & alia similis indolis mala omnium optime balneis refrigerantibus & humectantibus, huiusmodi cibo potuque, ac quiete, praecaueri possunt. Illud igitur, quod uniuerso corpori, toti systemati nervoso, totique massae sanguineae adscribendum, soli & per se innoxio uentriculo iniuste imputatur. Quomodo denique huiusmodi corporum moles augeti potest, in quibus, fortiori perspiratione, frequenti seminis profusione, uigiliis, uehementiori ac

diutur-

(a) Lib. Epidem. 6. Sect. 4. uid. Sponius aphor. nou. Sect. 3. §. 8. p. 102. & 103.

diuturniori motu, corpus laudabilibus succis orbarur, ac plus de iisdem quotidie perditur atque exhauritur, quam quidem reparatur aut reparari potest.

XIII. Vnde uero, hic denuo alii excipient, urgebunt, instabunt, excedens humorum uitalium copia, quam medici plethoram dicunt? nonne ab uberiori chylo, qui noui materiam sanguinis constituit? Vnde porro uberior chylus? nonne a fortiori appetitu, & maiore uentriculi robore, quae homines ad uberiores alimentorum deglutationem sollicitant & quasi compellunt? Inepte prorsus, culpa expertem, de crimine, quod non commisit, uentriculum accusas. Certe, si non edas prius, quam fames imperet; si cibum potumque modice sumens coena prandioque breui utaris; si citra satietatem uescaris, tritum sermone prouerbum obseruans: *Vann es einem an besten schmecket, soll man aufboeren*, nullas plane uentriculus molestias patietur, multo minus totum corpus succorum abundantia onerabitur ac laedetur. Ita quippe machinae nostrae dispositio est comparata, ut, si eidem necessaria suppedites, iisdem, tanquam propriis recreetur & roboretur; sin uero eandem superfluis obruas, debilitetur, affligatur, tanquam alienis. Huc te igitur para, haec dies noctesque repete & cogita, quod tutissimam uictus rationem natura indicet, necessaria docens, quae sunt pauca & acquisitu facilia, cum hominum stultitia & uoluptas, superflua excogitans, necessaria respuat, nec tamen superfluis obruta satietur. Ad quae uero, iterum mones, imperiosa fames homines non adigit? Paruo, meum est responsum, fames constat, magno fastidium, *der Hunger*, dicunt nostrates, *ist leicht zu stillen*. Nam fames naturalis, optimum cibi condimentum, ieiunus, inquam, stomachus, raro uulgaria temnens, nos indigentiae nostrae admonet, adeoque tum tantum cibi ac potus adhibendum, quantum necessitas & sanitas, non quantum uoluptas ac stultitia, exigunt. Aliter se res habet cum fame praeternaturali, sub bouinae & caninae titulo satis nota, uariisque stipata symptomatibus; haec enim modo ab acidorum similibumque

que alimentorum ac medicamentorum abusu, modo a sanguinis & hinc corruptae limphae gastricae uitio, dependens, perspecta huius causa atque origine, congruis curanda ac remouenda subsidiis. Hoc modo non inuenis ac deprehendis sufficientem, quocumque te uertas, rationem ac causam, ex qua, in sanguinis abundantia, eamque comitantibus incommodis, uentriculum, nullius sibi culpae conscium, uel leuissimo aequitatis praetextu, accusare queas. Atque eo certius suae defensionis patrocinium hic sibi stomachus promittere potest, quo liquidius, quo fusius constat, plethoram a neglecto motu, diminuta perspiratione, suppressa sanguinis menstrui haemorrhoidalisque excretionem, aut alia simili secretionem sufflaminata, omnium frequentissime prodire ac pullulare. Nec tam frequens, uti multorum fert opinio, est plethora, eaque per saepe cum deprauata sanguinis indole ac manifestarum effectibus rerum confunditur. Vnde, si aliquod in uentriculo incommodum, ac quaedam in illius actionibus tarditas, aliudue, debiliori systematis neruosi constitutioni attribuendum uitium, occurrant, eadem non illico ac semper a purpureae excessu massae repetenda sunt, ac totius corporis, ipsiusque eo ipso uentriculi, uires, repetita frangendae atque exhauriendae, sanguinis per incisam uenam missione. Temerarium, si haec respiciamus, medici illius consilium censendum, qui, teste RIDLINO, (b) uentriculi dolorem, grauitatis atque incumbentis quasi ponderis sensu molestum, quo puella decennis laborabat, exhibitis primum sine fructu purgantibus, reiterata uenae sectione profigare uoluit, quam, licet omnia deteriora sint reddita, ac puella haud leuem in corporis nutritione, incremento, ac uiribus, iacturam senserit, tertio repetendam esse putauit, suasitque. Damnandum hinc merito illorum medicastrorum praecudicium, rationi atque experientiae prorsus inimicum, quo omnes morbi a plethora deducuntur,

F

ducuntur,

(b) Obseruat. medic. Centuria, quae in 12mo Augustae Vindelicorum, Ao. 1682. edita fuit, histor. 15. p. 28. & sequent.

ducuntur, atque ad illorum extirpationem, uenae sectio, tanquam certissimum, tutissimum ac praesentissimum subsidium, promiscue & semper commendatur, instituitur, adeo, ut etiam, in aegrotis tabe consumptis, si uel leuior instet aestus, uel difficilior urgeat respiratio, ad eandem confugientes uitae accelerent finem.

XIV. Veruntamen, quanquam huius criminis uitique, de quo insons accusatur uentriculus, labe nunquam infectus fuerit, omni tamen culpae suspitione non carere, sputi cruenti, exulcerationis pulmonum, febris lentae tabificae, hecticae, & his familiarium symptomatum historia, uentriculi obrectatores confirmare student, plura hunc in finem exempla hominum afferentes, qui ex frequentiori uini, Spiritus uini, sic dictarum aquarum uitae, balsamorum uitae, essentiarum stomachalium, ut reliqua omittam, usu, in haemoptysin, & huic succedentem exulcerationem &c. inciderunt. Eorum porro iniiciunt mentionem, qui ex alimentorum gelatinosorum, cito & uberrime nutrientium, deglutitione, commemoratis affecti malis, obierunt. Vnde quoque iidem, in explicandis allegatorum morborum causis occupati, mox uentriculum nimis calidum, nimis robustum, plus, quam deceat, sine ratione, communi naturae impetu, appetentem, magis, quam necessitas exigat, in chylicationis negotio operosum, largaque chyli uberioris copia sanguini prospicientem, tanquam plethorae, & ab eadem orti sputi cruenti, tussi ex pulmonum uasis reiecti, & huic frequentissime succedentis phthiseos pulmonalis, auctorem culpant, exagitant, insectantur, conuictis urgent. Mox iterum, in eiusdem mali generatione, nimis languens uentriculi tonus accusatur, atque ab eodem uiscidi chyli, uiscidique origo sanguinis, capillaria pulmonum uasa obstruentis, inflammationem, exulcerationem, aliaque producentis mala, deriuatur. Iam omnem culpam in uentriculi acrimoniam conferunt, qua chylum, sanguinem, oninesque e sanguine secretos succos, imbui, imbutos

imbutos pulmonibus detrimento esse, eorumque uasis erosio ac disruptio, grauibus symptomatibus ansam præbere, perhibent. Ut paucis omnia, ulterius dicenda, complectar, similia hic uentriculus cum asino atque agasone habet fata, quæ WIDEBRAMVS (c) elegantissimo carmine, a PAVLLINI (d) citato, descripsit. Nec hæc sufficiunt, infonti tribuisse uentriculo; non ab eodem saltem phthiseos origo arcessitur, sed eidem quoque, cui soli huiusmodi aegrotorum conseruatio in acceptum referenda, omnia symptomata, indiuidui phthiseos comites, imputantur. In phthisicis sæpe integer adhuc est appetitus,isque manifestum integritatis, qua uentriculus præ aliis uisceribus excellit, indicium præbet. Nihilominus tum fraudi & uitio dant immerenti, si uberiori assumto cibo & potu, corporis moles non augetur, potius minuitur. Eundem præterea, tanquam reliquorum criminum reum, in ius uocant, si scilicet post copiosorem alimentorum, uiscidorum imprimis ac flatulentorum ingurgitationem, difficilior redditur respiratio, ac suffocationis merus plane ingruit. Ita porro, si ob prostratas totius corporis uires, ac succos uitales exhaustos, appetitus, reliquæque uentriculi actiones, languent, non ea, quam modo adduxi, causa attenditur, sed in uentriculum, qui nullam unquam subiuit culpam, culpa confertur. Exacerbati denique aestus causa, qui post pastum phthisicos affligit, a uentriculo omnis experte criminis repetitur. Innoxius tandem atque ab imputato uitio remotus stomachus adeo a phthisicis exagitur ac reprehenditur, ut etiam purulentæ puitrosæque reiectionem massæ, tussi factam, ab eodem arcessant, asserendo: *der Magen ist gar nichts nütze, daber vviird alles zu Schleim, vvelcher bernach durch die Lunge seinen Ausgang suchet.* Ast, quam iniuste, quam inique uentriculum

F 2

lum

(c) Annalibus Senacensibus, §. 95. (d) lib. Hist. phys. med. de Asino in 8uo Francofurti ad Moenum, ao. 1695. edito, cap. 3. p. 88. & sequ.

lum in criminis culpam, qua omnino hic uacat, uoces, tibi demonstrat atque exponit TVLPIVS, (e) referens, foeminam immedicabili tabe, male curatae pleuritidis effectu, affectam, atque adeo frequentia & sordida tussi reiicientem excrementa, ut copia capacem peluim, & foetore spatiosum facile compleuissent conclaue, comestis ostreis crudis, pristinam recuperasse sanitatem, cessante prorsus, cum tussi, pituitosi ac purulenti reiectione humoris, & tabe in pleniorum corporis habitum successiue mutata. Ea igitur symptomata phthisicis familiaria, quae antecedentibus iam recensui, non uentriculo, sed pulmonibus adscribenda sunt; labefactata enim pulmonum fabrica, laesaque libera illorum explicatione & motu, labem hinc chylus, modo ad sanguinem ablegatus, intra tubulosam & uesiculosam pulmonum substantiam atterendus, cum sanguine miscendus, subigendus, patitur; unde maior sanguinis uisciditas, uiscidaeque accumulatio materiae, quae nutritioni minus apta, non tabem saltem, secretorios obstruendo poros, inducit, sed ad partem erosam relaxatamque confluens, diminuta eiusdem resistentia, uberius etiam ibidem secernitur, secreta colligitur, collecta stagnat, stagnans corrumpitur, corrupta tussim, oris foetorem, difficilem respirationem, aliaque symptomata excitat, promota purulenti humoris excretionem atque absterfione, partiumque erosarum consolidationem, mitiganda, tollenda.

XV. Omnia, quae tenus hac pro infantis defensione uentriculi adduxi, non me temere, non inani quadam uoluntate, non casu, repentino mentis impetu, nulla satis firma, certaue causa commotum, adductum, sed ui ueritatis, & hanc confirmandum exemplorum multitudine compulsus, suscepisse, multis argumentis, minime dubiis, adhuc ostendere, ac rationibus sat firmis ulterius confirmare possem, ast, idem peractum partim,  
partim

(e) Obseruat. medic. a Dan. Elscuirio, Amstelodami, in 8uo, no. 1672. editus, lib. 2. hist. 8. p. 110.

partim arcti dissertationis cancelli, uberiorem obseruationum & momentorum, quorum plura adhuc urgenda restant, explanationem non admittunt. Nihil igitur iam dicendum de propriis uentriculi affectibus, uomitu, nausea, anorexia, cardialgia, cholera, ardore, lienteria, aliisque malis, quae nunquam eos, uentriculo per essentiam affecto, affligunt, quibus, quantum comedant, ac quid & quale comedant, curae cordique est. Transeo nouos, eosque barbaros plane terminos, quibus nonnulli proprietatem uocum rerumque naturam ignorantes, in describendis uentriculi affectibus, abutuntur. Talis terminus barbarus, ut alios ne attingam quidem, est *Colica uentriculi*, de qua peculiaris prostat dissertatio. Eodem certe iure, atque eodem rerum & terminorum consensu ac cognatione, iliacam uentriculi, hystericam uentriculi, & uice uersa, cardialgiam coli, choleram coli, &c. allegare possem; sed, quid hinc expectandum? maxima sane confusio, quam huiusmodi homines, qui nihil didicere unquam, nec discere uolunt, ac sanae rationi ualedixerunt, in deliciis habent, imitantes notum illum nugatorem, qui paupertate pressus, suam subleuaturus inopiam, equum, quem habebat, natibus & cauda praesepi obuersum alligabat, publica per uulgum disseminans schedula, quod equum rariorem, nuspiam uisum, inuerso plane partium situ gaudentem, ita, ut caput eo loco, quo cauda, econtrario cauda, quo caput, sint locata, possideat, ac uidendum offerat. Reticeo pariter, relictis his nugis, nugarumque auctoribus, innumera, quae uentriculo, in aegrotis, fluore albo, suppresso fluxu menstruo, haemorrhagia uteri, diarrhoea, dysenteria, leucophlegmatia, tympanitide, chlorosi, paralyfi, apoplexia pituitosa, aliisque huiusmodi uitiis laborantibus, crimina imputantur, cum ea, partim a uiscidorum alimentorum affatim deglutitorum abusu, iis, quibus neque modus edendi, neque ulla deligendi cibi ratio est, familiari, dependeant, & hinc pro uentriculi, uirtute motuque suo tenacem massam resoluentis ac propellentis, beneficio reputanda sint, par-

tim

tim uero a sanguinis solidorumque uniuersi corporis labe pro-  
 ueniant, uentriculo uel omnino bene se habente, uel per con-  
 sensum, aliarum culpa partium, simul laborante. Par est ratio  
 cephalalgiae, quae saepe illibati uitio uentriculi tribuitur. Cer-  
 tum utique est, quod multi, quibus uoluptatis studium omnem  
 in assumendis cibis ac potulentis modum, omne iudicium, o-  
 mnem prorsus rationem ademir, frequenter hoc morbo affligan-  
 tur; sed multi etiam huiusmodi farinae uitaeque homines, ne  
 quidem, propria edocti experientia sciunt, quid sit capitis do-  
 lor. Quoties denique, illaeso optimeque constituto uentriculo,  
 uel sanguinis copia aut uisciditate, alioque uitio? quoties fortio-  
 ri motu, aut eodem diutius neglecto? quoties ira, moerore, in-  
 tensiore aestu, penetrantiore effluuorum inimicorum odore,  
 capitis dolor inducitur? Incommodorum igitur origo, quae ca-  
 put, aliasque partes illico post pastum, afficiunt, non a uapori-  
 bus, sed potius ab irritatorum consensu neruorum, omnibus  
 partibus communi, deriuanda est. Clariora huius sententiae  
 documenta nobis suppeditant infantes, qui difficilem dentium  
 eruptionem sustinentes, & uomitu, & epilepsia, non uentricu-  
 li uitio, sed irritatis, prodeuntium stimulo dentium, neruis,  
 affliguntur. Similia nauisae uomitusque exempla in capitis  
 uulneribus deprehendimus. His quoque illustrandis seruit uo-  
 mitus aliaque uentriculi incommoda, quae renum inflammatio-  
 nem, & calculum comitantur. Eisdem infirmitates, ex eadem  
 causa, illi pariter experiuntur, qui conscensa naue, primum se  
 maris fluctibus committunt. Nec alia subest ratio in iis, qui  
 inuita natura ac consuetudine, aduersum motui rhedae locum  
 occupantes, ex solo resupino situ, supini & uertiginosi auctore  
 motus, tantam neruorum irritationem patiuntur, ut exinde in  
 uertiginem, nauisae, uomitum aliaque symptomata coniecti ual-  
 de debilitentur ac misere torqueantur.

XVI. Remouenda tandem prius, quam huic labori finem  
 imponam, opprobria quaedam uentriculi, ex adagijs minus rite  
 intelle-



intellectis atque explicatis enata. Primum inter haec esto sequens Graecorum: *παχῆα γαστήρ λεπτόν δ' εἴκει νόον*, uenter scilicet crassus tumidusque functionibus mentis impedimento est, uel, uti uulgaris habet uersiculus: ebrius atque satur nunquam bene philosophatur. Hanc sententiam non saltem suo calculo confirmat GREGORIVS, (f) sed sequentem quoque illius explicationem addit: *ἔνν λεπτόν ὄγκος ἐκδιώκει γαστέρος τάναντία γὰρ τοῖς ἐναντίοις μάχη*. His uero prouerbis prisci sapientes nihil aliud innuere, ac nos monere, uoluerunt, quam, ut luxum, aciei mentis inimicum, fugientes, ita nutritioni prospiciamus, ut uigor uiresque mentis promoucantur, minime uero, nimia corporis sagina, otio, ac hinc contracta mole & sarcina, animus elidatur, atque acumen ingenii retundatur; nam, ut habet HERACLITVS, (g) *ἄνη ψυχῆ σοφώτατη καὶ ἀείση*. Contrarium huic suppeditat praeceptum alia Graecis usitata sententia: *γαστέρος ἀπὸ πλείης βελή καὶ μῆτις αἰμείνων*, hoc est, uentre pleno melior consultatio, uel, uti nostrates dicunt, *vvenn die Sackpseiffe nicht voll ist, so kurrst sie nicht*; cum quo sequens conuenit: male cos sitiens operatur. Sed eadem nos pariter hortantur, ne in capiendo consilio nimis festinemus; non enim uacat deliberare, si fames interpellat, fames quippe & mora bilem in nasum coniciunt, consultatio uero tempus sufficiens, ac mentem omnino tranquillam, nullo corporis negotio turbatam, desiderat. Vno uerbo, his & similibus prouerbis ueteres sobrietatis commendarunt culturam, quae, corpori necessaria exhibendo, superflua auferendo, hominis sani ac rationalis actiones promouet; nam, ut habet HOFFMANNVS, (h) nemo studet nimium repleto uentre libenter, expletoque nimis corpore nemo studet. Non negandum quidem, quod multi homines, extra modum pinguedine diffuentes, quos Boeotum in crasso iurares aere natos, hebentis, stupidi tardique interdum ingenii sint, quale quid de crasso

G

quodam

(f) Lib. sentent. 2. quae cum aliis sub titulo Gnomologiae a Ioanne Loino Basileae in 1210 editae fuerunt, p. 281. (g) apud Stobaeum Serm. 3. (h) Lusib. Epigrammatic. ed. cit. Cent. 2. epigr. 30. p. 33.

quodam buccone Poeta (i) refert: artubus es truncus; tumet os tibi; talia nempe ora molossus habet, membra Colossus habet. Hanc autem obseruationem non perpetuae esse ueritatis, multi docent obesi, qui in uasta corporis mole, mentem praeclararum cognitione rerum instructissimam, abditissima meditantem, perscrutantem, eruentem, omnia ad amussim ponderantem, possident; eum alii sicioris subiecta constitutionis, quibus, ex communi suffragio, excellentiores ingenii dotes ac uires tribuuntur, saepe obesa sumine suis sint stupidiores. Praeterea in quacunque corporum humanorum dispositione, etiam iis, quibus stomachus uariis, iisque crudis oneratur ac farcitur cibus, mentis actiones integras manere, integra pariter uentriculi functione, adeoque, tum nec proxime, nec remote, uentriculo ullum uitium posse adscribi, pluribus euctum exemplis certo constat. Non iam prolixius commemorabo, quae PECHLINVS (k) de Poetis, Oratoribus, Pictoribus, Cantoribus, qui, nonnisi mero satiati turgidique, res suas strenue atque ex uoto perficere potuerunt, differit. Transcant & illi cum ceteris erroribus, qui nidoroso herbae nicotianae fumantis uapore tam impense, peruersa ducti consuetudine, delectantur, ut eiusdem usu per horae spatium carentes, anxii, tristes, debiles reddantur, & negotiis suis excolendis minus apti sint. Nec meam facio illorum sententiam, qui languentes uires, ebrietate excitandas quandoque esse, suadent. Vnicam uobis sisto historiam, citato notatam PECHLINO, (l) attento ruminandam animo; hic enim uniuersi corporis membris pessime constitutis, corruptaque tota massa sanguinea, non optime saltem uentriculus constitutus erat, strenue suo fungens munere, sed prae aliis etiam, homo iste, ingluuiei deditissimus, ingenii excellebat uiribus. Haec igitur accuratius examinata, quis & qualis sit sensus prouerbi Germanorum: *vvie man isset, so arbeit er man*, demonstrant. Nempe, aliis stupidi ingenii signis, diuturnior quoque mora, quam

(i) f. Hoffmannus, luf. epigr. edit. cit. Cent. 4. epigr. 80. p. 83. (k) Obseruat. phys. med. ed. cit. Lib. 3. obs. 5. p. 401. & sequ. (l) Obseruat. phys. med. ed. cit. Lib. 3. obs. 4. p. 398. & sequ.

quam quis in edendo, masticando, deglutiendo, necit, annumeratur, Germani dicunt: *es ist ein tummer und fauler Kerl, er kanet, vwie ein alt Schaf.* Sequuntur in eo EPICTETVM, (m) qui sequentes hebetis ingenii characteres, inter quos, & nimius & diurnus alimentorum usus reperitur, allegat: ἀφύσιος σημεῖον, τὸ ἐνδιατρεῖσθαι τοῖς περὶ τὸ σῶμα, οἷον ἐπὶ πολὺ γυμνάζεσθαι, ἐπὶ πολὺ ἐοῦσθαι, ἐπὶ πολὺ πίνειν, ἐπὶ πολὺ ἀποπατεῖν, ὀχέεσθαι. Verum, tarditatem in edendo, saepe nihil minus, quam ingenii tarditatem arguere, docet multorum uirorum prudentum in prandio coenaque consuetudo, qui excellentissimis praeclaræ mentis dotibus abundantes, totam, imo binas quandoque horas successivæ ciborum masticationi ac deglutioni impendunt, cum in aliis, qui agrestibus addicti moribus, repente totos brevissimo tempore bolos, magnamque alimentorum copiam, ingurgitant, nullus ingenio aut menti sit locus, sed omnia, si solum excipias ventriculum, præ aliis uigentem uisceribus, stupiditate laborent. Quid demum bene moratus uenter & contumelias patiens, qui ex SENECAE (n) effato, magna libertatis pars est, innuit ac significat? nihil aliud, quam temperantiae & sobrietatis studium, seu hominem parsimoniae & continentiae addictum, qui in uictu, non uoluptati, sed rationi atque experientiae morem gerens, simplici paucoque contentus cibo tranquillam agit uitam, nec ab illo instituto, ad opiparum uocatus conuiuium, mensæ dapius & ferculis refertissimæ assidens, recedit, sed repudiatis omnibus lautitiis, uel delicatis nimium atque exquisitis cibis, tanquam gulæ irritamentis, ac morborum seminibus, non nisi ex uno obsonii genere, coque simplicissimo, & corporis sui constitutioni accommodatissimo, uescitur. Hac sane ratione non mentis modo libertatem nobis uendicantes, sed uentriculum quoque a cruditatibus liberum conseruantes, omnium integritatem, tranquillitatem ac uirtutem partium & functionum promouemus. His beneficiis destituuntur destituti sobrietatis

ac

(m) Enchiridio cap. 63. edit. quæ cum Cebetis tabula Rudolstadtii 1707. in 16mo prodit, p. 120. (n) Oper. edit. cit. epist. 123. p. 672.

ae continentiae dono, quique omnia, quae offeruntur, fercula, abligurientes, omniaque, quae exhibentur, pocula, haurientes, optima sanitatis praesidia in pessima morborum uenena detestando conuertunt abusu. In eisdem optime quadrat illud Graecorum: *νοσῆμεν, οἷς ζῶμεν*, iis scilicet, quibus uiuimus, pariter aegrotamus. Multis haec monita omnino displicebunt, multique allegatas uictus regulas, tanquam rigidiores, repudiabunt, prouocantes ad CELSI (o) praecepta, qui expressis asserit uerbis: quod homo sanus, qui & bene ualet, & suae spontis est, nullis obligare se legibus debeat; nullum cibi genus fugere, quo populus utatur; modo plus iusto, modo non amplius assumere; bis die potius, quam semel cibum capere; & semper quam plurimum, dummodo hunc concoquat. Allegant pariter, in allegatae patrociniū sententiae, HIPPOCRATEM, (p) qui ualde tenuem, atque exquisitum uictum, sanis periculosum pronuncians, his tandem concludit: *διὰ τῆτο ἐν αἰ λεπταὶ καὶ ἀκριβέες διαίτα σφαλεραὶ ἐς τὰ πλεῖστα τῶν σμικρῶν ἀδρότερον*. Ast perpendas, quaeſo, quod citati auctores, per sanos, homines quadratos, frequenti fortique corpus exercentes motu, per exquisitam tenuemque diaetam, pituitarum illis nutriendis minime sufficientium usum, intelligant, consensum, quem iisdem damus, nullam plane dissensus rationem, in nostris scriptis inuenies. Multa de emeticis & remediis tonicis uentriculi, raro & circumspecte adhibendis, adhuc monenda essent, sed de his alio scripto, si Deus sanitatem & uires concesserit, acturi, residuorum explicationem momentorum tibi exhibebimus. Hoc, *ὡς ἐν παραδῶ* iam attingo, quod plures hodie homines sic dicto spiritu uini uentriculum maxime laedentes, uitae accelerent finem; paucis abhinc septimanis, cadaueris uicilis sectioni, quod uentriculum ex allegata causa omnino exulceratum fitebat, interfui. Consilium atque auxilium a nobis desiderauit foemina, huius potus ingurgitationi assueta, in qua similem adesse statum, oris foetor, nausea perpetua, & purulentae uomitus materiae, docent. Confirmatur his Coi nostri (q) obseruatio, scribentis: *τῶν ἰσχυρῶν φαρμάκων τὰ πλεῖστα ἐπινοῖ τὸν σωμαχόν*. Ad finem uero properans, omnibus sequentem regulam, mentis & corporis, ipsiusque in specie uentricui, integritati abunde prospicientem, perpetuo recoquendam atque obseruandam commendo:

Esto pius Domino, sobrius tibi, iustus in omnes,  
Ista trias animae causa salutis erit.

(o) tr. de med. ed. cit. lib. I. cap. I. p. 21. & 22. (p) Aphor. edit. cit. sect. 1. §. 5. p. 8. & 9. (q) Lib. de Steril. conf. Sponius l. c. S. 4. §. 15. p. 296. & 297.